







1
20
21.
22.
23
29
28



1705.

20^a = 2^o Stenius, Bonus carus Gith. : Verata Saxonica.

2 Saep. 1705 : 1725.

21. Stenius, Fris. Githelub : De herede defunctum non
representante

22. Wedelius, Georgius Wulffingus; Facult. med. Decanus :

Propempticon inang : De Lazaro ante portam II.

(ad Disputationem solennem in spicil. Dehni in
vitat)

23. Wedelius, Georgius Wulffingus, Fac. med. Decanus :

Propempticon inang : De Lazaro ante portam (ad
Disputationem solennem in spicil. Dehni in
vitat).

24. Wedelius, Georgius Wulffingus : De ~~ip~~ ipca-
cra ante Americana, et Germanica.

25. Weissenborn, Johannes Fridericus : An existimato-
nis ac vitae eadem est habenda ratio?

1705.

26. Wildvoegel, Christ: De fide hosti a privato data
servanda.

27^{9, 6.^e} Wildvoegelius, Christianus: De oblationibus, quae
fiunt in ecclesia per saeculum sonantem. . . .
3. Impl. 1705 = 1751.

28^{1. 2.} Wildvoegelius, Christianus: De jure priores p[ro]p[ri]is emi-
nenti circa postes. 2. Impl. 1705 = 1755

29^{1. 2.} Wildvoegelius, Christ: De tribus sententiis confor-
mibus 2. Impl. 1705 = 1760.

la
e)
es.



494

11.



1705, 21 3246 3
2. D. B. V.
DISSERTATIO IVRIDICA
DE

HÆREDE DEFVN-
CTVM NON REPRÆ-
SENTANTE

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINGIPE
AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO
DVCE SAXONIE, JVLIIACI, CLIVIE, MONTIVM, ANGARIE
ET WESTPHALIE &c. &c.

IN HAC ALMA IENENSI

PRÆSIDE

DN. FRID. GOTTLIEB: STRUVIO

I. U. D.

Patrono ac Promotore studiorum suorum plurimum colendo
Ad diem Maji MDCCV.

Publico eruditorum examini submittit

Horis locoque consuetis


BERNHARD. HENR. PAGENDARM.

Hervordia Westphalus.

JENÆ, Litteris MVLLERIANIS.

IN ERGANO I. MEDICA
DE
HARRIDE DE DEVA
CVM NOMINE
SENIALE
AC DOMINO
D. GUNTERO DE WIKO
IN ERGANO I. MEDICA
DE
HARRIDE DE DEVA
CVM NOMINE
SENIALE
AC DOMINO
D. GUNTERO DE WIKO
IN ERGANO I. MEDICA
DE
HARRIDE DE DEVA
CVM NOMINE
SENIALE
AC DOMINO
D. GUNTERO DE WIKO





Q. D. B. V.

CAPVT I.

*De Jure Cessantis Representa-
tionis in genere, & in specie de Juri-
bus Personarum, qua morte
desinunt.*

Th. I.



Translatitium est inter Juriscon-
sultos & commune juris brocardi-
cum; Quod heres representet
defunctum & una quodammodo
persona cum eodem esse censea-
tur *Novell. 48 pr. l. 31. d. hered. instit.*
junct. l. 22. d. usucap. Myns. Decad. 4.
Respons. 37. n. 8. Id quod non
tantum in juribus atque actionibus præjudicialibus pro-
cedit; Vnde jus patronatus & inde dependentes a-
ctiones ad heredem quoque manumissoris transeunt

A. 2

l. 4.

l. 4. ff. de oper. libert. l. 22. §. 1. ff. cod. sed maxime etiam in rerum dominiis, quæ cum juribus connexis per successionem in heredem devolvuntur l. 37. ff. d. acq. l. omitt. hered. Ex quo est, quod heres tum cœpta à defuncto jura perficere, v. gr. in complenda usucapione ab eodem inchoata l. 30. ex qu. c. major. tum penitus acquisita persequi possit v. gr. exercendo servitutes reales defuncto legitime constitutas l. 2. §. ult. in fin. ff. si servit. vindicet. Nec minus eundem effectum in jure obligationum plenius adhuc perspicere licet l. 59. ff. de R. I. Unde defunctus heredi tam suo, quam extraneo valide stipulari potest l. 33. ff. de pact. l. 9. ff. de probat. l. 13. C. de contrab. & committ. stipulat. præstationesque personales ex contractu reciproce ad heredes contractantium transeunt: e. gr. ut heres stare teneatur locationi à defuncto factæ l. 10. C. de locat. & cond. obligetur ad evictionem ex contractu defuncti l. 9. C. de evict. & generaliter facti defuncti contravenire aut illud impugnare non possit l. 14. C. de rei vind. Kœppen. decis. 18. n. 11. Petr. Wesenbec. consil. 2. n. 95. Contra vero, rem defuncto ex causa legitima debitam valide exigit, eoque nomine directas etiam actiones instituat l. 3. §. 7. ff. d. neg. gest. Struv. Ex. 46. th. 79. Denique etiam in causis judiciariis hoc valet, unde instantia à defuncto vel contra eum semel cœpta in heredes utrinque sine reassumptione jure Civili continuatur l. heres absens 19. ff. d. judic. l. 33. ff. d. si de juss. Myns. Dec. 1. Respons. 8. n. 34. atque proinde actio judicati heredi atque in ipsum heredem efficaciter competit l. 6. §. 3. ff. de re jud. Struv. Synt. Civil. Exercit. 44. th. 15.

Th. II. Fundamentum hujus axiomatis est character ille singularis repræsentativus, qui heredi per successione imprimatur, ex quo per omnia & in omnibus juribus per mortem non extinctis defuncti personam sustinet *l. 1. 2. 3. ff. de bon. poss. Franc. Viv. Decif. Neap. 118. n. 5.* Etenim cum jus habendi hereditatem sit indivisibile *l. 1. ff. de acquir. l. omitt. hær.* atque quis pro parte heres esse pro parte non esse, quoad suam sc. delatam quotam, non possit *l. 8. §. 1. ff. d. acq. l. omitt. hered.* Inde necessario sequitur & repræsentationem defuncti esse indivisibilem, atque ita ab herede plenissime fieri debere quoad omnia jura à defuncto relicta *Carpz. P. 3. Const. 2. d. 17. n. 7.*

Th. III. Vim atque effectum universalis hujus identitatis sive repræsentationis ex primava quadam domini lege deducit Grotius, quod cum per successione in heredem devolvatur, ideo putat, hoc simul ad se trahere cohærentes bonis obligationes, ad præstanda defuncti facta *L. 2. d. I. B. & P. c. 14. §. 10. it. c. 27. §. 19.* Quæ quidem sententia, quia paulo obscurior videri poterat, optime illustratur per *lex persona 114. ff. d. R. I.* scilicet ipsum lucrum, quod heres ex honorabili titulo institutionis vel ex ipsis bonis hereditariis consequitur, ipsum obligat, ut onus quoque subeat bonis adjectum, cum naturalis domini lex commoda & incommoda unius rei connexa esse velit *conf. l. 1. 2. 3. ff. de bon. poss. ff.* Verum illa correlata invicem luci atque obligationis suscipiendæ proportio rem totam exhaurire non videtur; Etenim cum nullum jus aut dominium à defuncto in heredem transire possit, nisi

heres acceptaverit, sicuti enim, neque invitus quis oneribus hereditariis implicari arg. *§. fin. vers. sicut auctorem Inst. de hered. qual. & diff.* ita nec beneficia invito acquiri possunt *l. 69. de R. I.* Inde videmus, fundamentum hujus representationis non consistere in solo dominio translato, sed præterea requiri acceptationem à futuro successore faciendam.

Th. IV. Eandem fere opinionem ex Civilibus legum interpretibus fovere illi videntur, qui putant, representationem hanc oriri ex bonis, adeo, ut iis demtis illam penitus corruiere existiment, cum sc. sine bonis, non hereditas, neque representatio sine hereditate intelligatur, uti notat *Barbos. in loc. Commun per Tab. editis voce heres.* Verum, cum præter illa jura, quæ simul cum bonis transferuntur, alia adhuc sint, quæ ipso jure in hæredem derivantur, etiamsi defunctus nulla bona reliquerit, aut relicta interierint, quæ partim nuda existentia sicutatis, partim nudus successionis nexu confirmat, uti sunt jura sanguinis &c. quæ descendens plenissime capit etiam ultra portionem hereditariam. *Chassan ad Consuetud. Burgund. Rubr. 7. §. 2. n. 3.* It. forum privilegiatum, immunitates, quæ jura etiam exhæredatis dantur post mortem patris, quamdiu in familia manent arg. *l. ii. C. de prof. & med.* Ideo neque hoc fundamentum erit sufficiens ad stabilendam heredis representationem, quippe quæ latior patet, quam ipsa bona.

Thes. V. Potius ergo dicendum, quod tota hæc representatio mere moralis sit, atque à legis dispositione dependeat, quæ hæredi talem characterem attri-

tribuit, partim ex præsumta defuncti voluntate, qui juxta commune mortalium votum cupit rerum suarum dominium ac jura continuari *arg. l. 177. pr. ff. d. R. I.* partim ex præsumpto hæredis consensu, qui adeundo hereditatem proprio quodammodo facto, facta ac jura defuncti suscepisse ac confirmasse intelligitur *l. si ab eo 7. C. d. lib. caus. l. 3. §. fin. in f. ff. quibus ex causis in posses. eat. Menoch. Vol. 2. Conf. us. n. 59.*

Th. VI. Patet proinde, hanc ipsam defuncti representationem non ita fieri, quasi duæ personæ hæredis & defuncti in unam confundantur, sed manent hæc omnino naturaliter & civiliter distinctæ *l. 34. ff. d. A. R. D.* & saltem ex juris fictione unius personæ vice funguntur *l. 22. ff. d. usucap.* unde & creditores defuncti ad separationem bonorum contra hæredis creditores provocare possunt *ut ff. de separ. bon. conf. l. 7. C. d. bon. autb. jud. poss. Richt. d. Privileg. Credit. cap. 1.* sed fit illa saltem per imputationem quandam moralem, qua hæres ad effectum civilem vicem duarum personarum ex juris dispositione sustinet. Unde in iis, quæ jure proprio habet hæres, representatio ista omnino cessat Giphani ad *l. un. C. ut act. ab hæred. n. ult.*

Th. VII. Quanquam vero hic character specialis, ita personæ hæredis imprimatur, ut habeatur indelebilis, & hinc hæres semel factus hæres esse non desinat *l. 88. in f. ff. de hæred. instit. & vendita licet hæreditate, actiones tamen directæ, tam active quam passive penes heredem venditorem remaneant, arg. l. 2. 4. C. de hæred. vel act. vendit. Struv. Synt. Civil. Ex. 23. tb.*

23. *th. 73.* Attamen ab hac ipsa hæreditariæ repræsentationis necessitate non solum de jure Prætorio recessum est, data sc. minori restitutione in integrum contra aditam semel hæreditatem *l. 24. §. 2. de minor.* etiam ad hoc, ut substitutus hoc casu possit admitti *l. 7. §. 10. d. minor.* Nec non data suis hæredibus sese immiscendi vel abstinendi facultate *§. 2. in fin. Inst. de hæred. qual. & diff. l. 89. de legat. 1.* Verum etiam ex jure Civili plures licet casus advertere, quibus ista tollitur repræsentatio, invento nimirum beneficio inventarii, quo efficitur, ut non tantum proprio jure qualitatæ hæredi actiones adversus defunctum eidem maneat integræ, neque per confusionem extinguantur, *l. ult. §. 9. C. de jur. delib.* Sed & hæres ultra vires hæreditatis defunctum repræsentare aut creditoribus satisfacere non teneatur *l. ult. §. 4. C. de jur. delib.* Struv. *Syntag. Civili Exercit. 33. th. 57.*

Th. VIII. Præter illos tamen generales casus quibus repræsentatio deficit, plures adhuc speciales notari possunt, per singula juris capita, quibus scinditur quasi ista repræsentatio, & hæres, licet hæreditatem adierit, defunctum tamen pro parte repræsentet, pro parte non, respectu sc. illorum jurium quæ per mortem solvuntur. Nimirum cum superius dictum, quod fundamentum hujus repræsentationis sit præsumptum defuncti, tum hæredis consensus; possit vero pluribus modis contingere, ut iste deficiat, pro diversa scilicet jurium qualitate ac conditione actionum, hinc facile patet, nec repræsentationem illam hæredis esse perpetuam.

Th. IX.

Th. IX. Et hætenus accipiendum est decantatum non minus juris axioma, quod tradit Imperator in *Novell. 22. c. 20. Mors omnia solvit*. Explicavit hoc ipsum superiori ætate Sebastian. Medices, JCrus Florentinus in peculiari tractatu, qui prodiit *Francof. 1586. in. 8.* sed cum pleraque ibi ad sensum ac intellectum veterum interpretum dicat, ad praxin vero forensis parum aut nihil faciat, non abs re fore putamus, hoc ipsum sub incudem revocare atque præsentis nostræ Dissertatione B. C. D. dispicere, quæ jura per mortem solvantur ita, **UT IN IIS HÆRES PERSONAM DEFUNCTI NON REPRÆSENTET.** Ne vero ultra metam excrescat labor, intra casus Civiles nos continebimus, quos juxta methodum Imperatoriam per triplex juris objectum, nimirum Personarum, Rerum & Actionum ordine perpendere licebit Causas Canonicas, Feudales ac Publicas alii occasione reservantes.

Th. X. Casus ergo speciales deficientis hujus repræsentationis occurrunt primo, circa leges, statuta ac consuetudines, quarum obligatio ad hæredes non transit, nec enim iisdem juribus ac statutis per omnia tenetur hæres, quibus defunctus parere debuit, nec commodis quoque eisdem per leges defuncto competentibus fruitur; Etenim adeundo hæreditatem sese ulterius judici ac foro defuncti non subjecisse censetur, quam aut possessio hæreditatis, aut contractus in aliquo loco à defuncto celebratus hoc exigat. Unde sponte sequitur, jura domicilii defuncti morte desinere, nec hæredem obligare. Ex quo collectæ personales non possunt hæredi extraneo imponi, licet defun-

B

ctus

Quis sub territorio collectantis etiam ad ultimum vitæ momentum domicilium constitutum habuerit, nec onera domicilii paterni personalia sequuntur filium si alibi habitet *l. 17. §. 11. ff. ad municip.*

Th. XI. Sed annon jura Civitatis paternæ originaria ad filium pertinent? de jure Commun. id aff. per *l. 6. §. 1. ff. ad municip.* ubi filius civitatem, ex qua pater ejus naturalem originem ducit, sequi dicitur, ut hinc ejusdem civitatis originarius esse censeatur, ex quo pater oriundus *l. 3. C. de municip. & orig.* Boër. *dec. 13. n. 51. & seq.* Matth. de Afflictis *decif. 38.* Quod tamen moribus ad eum casum restringendum, quando tempore, quo natus est filius, pater adhuc in loco originis habitaverit, si enim alio domicilium transtulerit, jura ac forum originis juxta consuetudinem Germaniæ generalem amisit. Paurm. *L. II. d. juris d. c. 8. n. 38.* Gail. *Lib. II. O. 36. n. 7.* Ad hæredem vero extraneum hæc jura originis defuncti nullo modo transeunt e. gr. ut jura indigenatus defuncto competentia &c. capiat, quia hæc à sola nativitate personæ dependent *l. 7. C. d. in col.* Nec porro hæredi in bonis mobilibus à defuncto relictis, succeditur juxta statuta illius loci, ubi defunctus, à quo provenerunt, tempore mortis habitavit; Sed juxta statuta domicilii ultimi possessoris sc. hæredis, in cujus patrimonium semel per additionem hereditatis bona sunt transfusa. Sed quid si hæres proprium aliquod constitutum domicilium non habeat? nec tum ad domicilium antecessoris, sed ad forum originis hæredis erit respiciendum. Conf. Mev. *Part. 3. dec. 71. it. P. 5. dec. 164.* Ex dictis pariter fluit, quod jus

jus retorsionis etiam contra heredem extraneum locum habeat, nec possit illud sub prætextu representationis evitare, cum jura defuncti morte perempta. Vid. Stray. *de Vind. Priv. cap. 11. apb. 22. & seq.*

Th. XII. Pariter ex naturâ suâ & factâ concessionis indole ad heredem non transeunt privilegia personalia, certo individuo concessa *l. 196. ff. de R. I. cap. privilegium. 7. d. R. I. in 6to.* Cum enim qualitas privilegii, mutatione personæ, quæ est alterius conditionis, mutetur, per consequens & ipsum privilegium amittitur *Gail. 2. O. 144. n. 8.* Exinde indultum à Principe moratorium hæredibus debitoris non competit *Mev. P. V. decis. 1. Brunemann. ad l. 12. ff. solut. matrim. n. 12.* Idemque procedit etiam in beneficiis jure Comm. in personam concessis *l. 68. ff. de R. I.* Ita beneficium competentia datum debitori, defuncto eo, hæredibus non prodest adversus creditores immissionem vel executionem in bona defuncti postulantes *Coler. de process. Execut. P. 2. c. 3. n. 125. Carpz. P. 1. C. 32. d. 17. Add. Fab. in Cod. L. 3. t. 17. def. 3.*

Th. XIII. A legibus progredimur ad statum, quem defunctus vel à natura habuit, vel à lege. Iste apparet, 1.) in sexu, qui certe personalissimus est, neque in hæredes transmittitur. Unde mulieres solummodo per lineam fœmineam conjunctæ in gerada succedunt, & filii vel nepotes masculi, licet à proxima cognata suscepti, & licet hæredes matris extiterint, tamen in petitione geradæ aliis, licet remotioribus cognatis fœminis non præferuntur, etiamsi mater illorum si tempore mortuæ cognatæ proximæ fuerit fu-

B 2

per-

perstes, cognatas illas remotiores exclusisset. Goldbeck *de jur. Gerad. c. 5. n. 5.* Carpz. *P. II. c. 14. d. 56.* Hart. Pistor *L. 1. qu. 33. n. 18.* Commoda vero realia beneficiorum quæ mulieribus intuitu sexus sunt tributa ad hæredem etiam masculum perveniunt; ita exceptio Scti Vellejani hæredi etiam masculino datur. *l. 7. C. ad SC. Vellej. l. 20. C. eod. ibid.* Brunnemann. Menoch. *L. 111. Præsumt. 103. n. 18.* item jus tacitæ hypothecæ mulieri pro consequenda dote & paraphernalibus in bonis mariti competens non fœminis tantum hæredibus competit, sed etiam masculis Carpz. *P. 1. C. 28. def. 99.* In aliis vero causis, in quibus ratio personalitatis stricte attenditur, repræsentatio sexus omnino cessat.

Th. XIV. 2.) Status naturalis spectatur in nativitate & juribus inde dependentibus, quæ itidem personalia sunt, nec ad hæredem transeunt. Idque non tantum in onerosis procedit, ex quo est, quod levis notæ macula, quæ ab illegitima nativitate contrahitur, hæredes non afficiat, & hinc spuriorum parentum liberi, legitimo matrimonio nati honestorum omnino atque integrorum natalium habendi sunt. *arg. l. fin. C. d. natur. lib. Gail. II. O. 88. n. 13.* licet hæredes paternorum bonorum exstiterint, vitium enim non bonis cohæret sed personæ Add. Fab. in *Cod. L. 9. t. 28. def. 27.* Sed etiam in favorabilibus locum invenit; Vnde jura primogenituræ personalia non transferuntur in hæredem. Hinc si ex forma statuti debeatur electio primogenito, post hujus mortem non transit ad primogeniti filium Schurf. *Cent. 2. Conf. 1.* Ita porro nec jura sanguinis, familiæ, agnationis aut cognationis per transmis-

missionem hæreditariam ad successorem perveniunt ,
sed proprio nativitatis jure quæri debent. Unde hæres
extraneus ignobilis defuncto licet nobili succedens, ju-
ra agnationis, ac nobilitatis non consequitur. Tiraquel.
de jur. nobil. cap. 3.

Th. XV. 3.) In ætate, quæ cum juribus ejusdem
personalibus morte interit. Exemplum est in jure
Senioratus, quod ad hæredem, qua hæredem, non
transit, Carpz. *V. Resp. 81. n. 15.* Similiter & jus optionis,
quod juxta jus Saxonicum commune, filio natu mini-
mo circa hæreditatem competit, vulgo die Ruhr-Ge-
rechtigkeit / Land-Recht *Lib. 3. art. 29.* personale est, nec
ad hæredes transmittitur Carpz. *P. III. c. 15. d. 29.* idem-
que plane dicendum est, de jure divisionis, quod non
minus personale est & propterea filio natu majore de-
functo ad hæredes non venit Carpz. *d. l. def. 13. (4)* In ha-
bitu corporis & animi naturali, qui cum defuncto in-
terit.

Th. XVI. Ex statu hominum Civili absoluto
qui est circa ingenuitatem, servitutem ac libertinita-
tem huc pertinet; Quod operæ officiales, quas liber-
tus patrono promiserit, ad hæredem nec patroni nec
liberti transeant, cum proprietas earum & in edentis,
& in ejus, cui eduntur, persona consistat *l. 9. §. 1 ff. d.*
op. libert. l. 26. §. 12 ff. de cond. indeb. Struv. *Synt. jur. Civ.*
Exercit. 37. th. 62. Zal. lib. 1. sing. intell. c. 3. n. 48. & seqq.

Th. XVII. Ex juribus familiæ morte solvitur
patria potestas *pr. Inst. quibus mod. patr. pot. solv. l. 239. pr.*
ff. de V. S. Et licet mortuo avo nepotes ex jure Ro-
mano recidant in potestatem sui patris naturalis *d. pr.*

Inst. Id tamen non venit ex transmissa ab avo in filium potestate patria; Sed quod filius ita fiat sui juris, & sic possit cum effectu plenius exercere patriam potestatem, quæ ipsi ex procreationis jure naturaliter sc. jam antea saltem in actu primo competeat. Similiter & effectus potestatis tam naturales quam Civiles mortuo patre, perimuntur, uti est potestas substituendi pupillariter arg. *l. 2. pr. ff. d. vulg. & pupill. substit.* potestas dandi tutores testamento arg. *l. 1. pr. ff. de Test. Tut.* ususfructus patri in peculio filii famil. adventitio competens arg. *l. 3. S. fin. ff. quibus mod. ususfr. amitt.* Sed an onus alimentandi transibit ad hæredem patri succedentem? Resp. quatenus personale est non, quatenus vero reale est, transit; ita, ut ex bonis filio debeantur alimenta; vel quæ in vicem alimentorum surrogata est legitima, hanc enim ex bonis defuncti supplere debet, si integrare relicta non sit *Novell. 115. c. 3. l. 30. l. 36. C. de inoff. testament.* Quod si illa ad alendum non sufficiat, ex juris necessitate ad amplius quid non tenetur. Circa effectus naturales occurrunt exempla in reverentia, quæ eadem non debetur hæredi patris, ac patri ipsi; Unde restitutio adversus gesta cum hærede patris, licet adversus parentes non detur, recte postulatur arg. *l. fin. C. qu. & adv. qu. restit. it. hæres actione doli vel alia famosa ex proprio suo facto conveniri potest l. 13. ff. d. dol. Pacius Cent. II. Enant. qu. 82.* licet pater saltem actione in factum teneatur. *l. fin. C. qu. & advers. quas restit.*

Th. XVIII. Sponsalia ac matrimonia morte dirimi, diserte asserit Imp. in *Nov. 22. c. 20. l. ult. C. de V. S.* nec datur in illa jura hæredum successio, sc. propter arctissimi-

tissimum, quod inter personas conjugum intercescit, fidei atque amoris vinculum, quod ab hærede redintegrari nequit. Hinc dicunt Ddres, quod si maritus vel uxor resurgat à mortuis, non recuperent se, cum semel per mortem sit dissolutum matrimonium. Mozzius *d. Contract. tit. d. matrim. quom. solv. n. 4.*

Th. XIX. Pariter & morte conjugum solvitur adfinitas arg. *l. 3. §. 1. ff. de postul.* Hinc inferunt Ddres, quod si juxta statutum cognatus à cognato vel adfinis ab adfine, conventus ad iudicium arbitri compromissarium provocare possit, hoc ipsum dissoluta adfinitate cesset, licet superstes in viduitate permanserit. Blanc. *d. compromiss. qu. 3. n. 2. 3.* Similiter dissoluta adfinitate, per mortem uxoris, affinis cum adfine in eodem collegio esse potest. Mæv. *ad jus Lubeeense L. 1. t. 1. a. 7. n. 221.* Idem respectus extinctæ adfinitatis quoad ascendentes locum habet. Unde focer à genero ad solvendam dotem, durante matrimonio conventus, habet beneficium competentia *l. 17. pr. ff. sol. matr. l. penult. ff. de jur. dot.* Si vero diremto matrimonio focer conveniatur, eo nimirum casu, si maritus vel ex statuto, vel lege, propter delictum uxoris, vel ex pactis dotalibus dotem lucretur, convenitur in solidum *l. 21. l. 22. ff. de re jud. Arum. Disp. ad ff. 15. th. ult. Struv. Exercit. 30. th. 54.* Excipitur prohibitio matrimonii, quæ mortuo licet alterutro conjugè, omnino adhuc durat, eatenus enim, per copulam carnalem contracta semel adfinitas est perpetua. Excipitur deinde singulari ratione fideicommissum familiae relictum; ad quod ex nova Justiniani constitutione, deficientibus consanguineis, gener etiam

&

& nurus vocantur quando sc. matrimonium morte filii vel filiae fuerit dissolutum *l. ult. C. de V. s. Matth. de Success. c. 12. tb. 20.* et si enim ad finem successio legitima non sit *l. 7. C. commun. de Success.* tamen hoc casu fideicommissum ex testamento fidei committentis defertur, & hinc ordinario jure succedendi ab intestato non estimatur. Brunnem. *ad l. 3. ff. de postul.*

Th. XX. Solutio matrimonio dos quidem profectitia ad patrem revertitur, siue dotem sibi stipulatus fuerit, siue non *l. un. §. 1. §. 6. 13. C. de rei ux. act. l. 4. C. solut. matrim. l. 59. ff. l. 5. ff. de divort.* Struv. *Exercit. 30. tb. 49.* Nec tamen hæredibus patris jus repetendi datur, sed mortuo patre soli uxori ejusque hæredibus datur repetitio *l. 71. d. evict.* etiamsi pater vivus jam litem contestatus fuit *l. unic. §. 14. C. de rei ux.* estque hoc casu in arbitrio uxoris an velit retenta dote abstinere, patris hæreditate, an illa collata, simul cum reliquis succedere *l. fin. ff. de dot. collat.* Dos vero adventitia, ad constituentem ejusque hæredes redit, si de restitutione sibi facienda expresse sibi stipulatus fuerit, constituens *l. 24. C. d. jur. dot.* Sin minus, hæredibus constituentis repetitio nulla datur, sed uxor vel ejus hæredes soli repetunt *d. l. unic. §. 6. §. 13.*

Th. XXI. Beneficium competentiae; quod datur marito convento ab uxore ad dotem restituendam ad liberos quidem ejusdem matrimonii ex æquitate, transit *l. 18. pr. ff. sol. matrimon.* non vero in hæredes extraneos *l. 13. ff. eod. Struv. Exercit. 30. tb. 54.* Sed quid si uxor constante matrimonio, cum maritus ad inopiam vergeret, dotem repetierit juxta *l. 29. C. de jur. dot.*

co.

eoque nomine in bona mariti fuerit immissa? Resp. Datur quidem ipsi uxori, quamdiu matrimonium consistit, exceptio contra creditores mariti, qui non possunt bona occupare, nisi dotem ex illis receperit uxor. Idem tamen jus, mortua matre non datur liberis, qui quidem privilegiatam dotis repetitionem in concursu habent, non vero jure retentionis ex immisione matris fruuntur, quia causa possessionis sc. dotis, soluto per mortem matrimonio desit. Fab. *in Cod. L. VI. t. 32. def. 5.*

Th. XXII. Ex pari ratione jus prælationis quod uxori competit in bonis mariti pro repetenda dote, ad liberos quidem communes venit *Novell. 91. pr. l. 12. §. 1. C. qu. pot. in pignor.* non vero ad ascendentes aut collaterales, multo minus extraneos *Carpz. P. 1. Const. 28. def. 95.* nec obstat *l. 13. §. 3. ff. de fund. dot.* quæ vel cum Gothofredo ad *leg. cit. de hæredibus liberis*, intelligenda, vel de auxilio atque actione reali sc. rei vindicatione, quæ certe soluto matrimonio, pro recuperanda re dotali inestimato data ex tanti, non tantum uxori datur, sed cuivis hæredi etiam extraneo sicuti & jus hypothecæ mulieris ad quosvis transmittitur. *l. 30. C. de jur. dot. Carpzov. IV. Resp. 22.*

Th. XXIII. Porro & jus optionis sive arbitrium eligendi portionem statutariam, vel bona illata repetendi; quod juxta Constitutiones Saxonie aliorumque locorum datur viduæ, personale est, & ad solos liberos pervenit non vero ascendentibus aut collateralibus, neque hæredibus extraneis proficit *Brunnem. de Cess. act. c. 4. n. 41. Möller L. 1. Semestr. c. 14.* Et proinde

defuncta vidua ante electionem , hi portione statuta-
ria contenti esse debent , à repetitione bonorum il-
latorum prorsus exclusi Carpz. *P.III.C.20.def.42. it. VI.*
Resp.59.

Th. XXIV. Personalius adhuc est jus petendi &
optandi dotalitium ; quod nec ad hæredes liberos tran-
sit, quia in his deficit causa petendi, & hinc uxor ante
maritum vel post, sed ante optionem factam defun-
cta, hæredes ad repetendam saltem dotem admittun-
tur, non vero ad constitutionem dotalitii agere pos-
sunt Carpz. *P.II.C.44.def.4. Struv.Synt.feud.c.14.apb.15.*
n.3. Ipsum præterea jus dotalitii uxori semel legitimè
constituti, atque ab ea apprehensi personale quoque
est, atque cum persona ejusdem penitus exstinguitur.
Nec dotalitio semel electo datur defunctæ uxoris hæ-
redibus repetitio dotis, quia sc. dotalitium dotem ab-
sorbet Hart. Pistor *L.I.q.4.n.20.* licet tantum ex dota-
litio non perceperit uxor quantum fuerit in dote,
adeo ut hæredibus hoc casu ex capite læsionis ultra di-
midium nulla detur repetitio dotis, quia dotalitii
concessio pertinet quodammodo ad contractus spei,
& ideo sicuti lucrum ultra dotem ab uxore perceptum
restituere non tenentur, ita nec propter damnum quic-
quam rursus possunt exigere. Conf. Coler. *P.I.dec.194.*
Thoming. *dec.3.*

Th. XXV. Huc pertinet quoque annus gra-
tiæ vulgo das Gnaden-Zahr viduæ liberisque con-
cessus ; in quo non solum omnis defuncti repræ-
sentatio cessat, cum hoc ex singulari privilegio jure
proprio fruantur, non jure hæreditario ; Vnde nec
debita defuncti ex relictibus illius anni vidua vel libe-
ri

ri exsolvere debent Carpz. *P. II. C. 5. d. 9. 10.* nec proin-
in illius proventibus creditores hæreditarii arrestum
aut immissionem impetrare possunt. Rauchb. *P. I. qu. 25.*
n. 6. Sed etiam respectu viduæ ac liberorum est per-
sonale, unde si intra concessum hoc gratiæ spatium,
morianitur, residuum temporis quod ad fruendum
supererat ad hæredes non transmittunt. Rauchb. *d. l.*
Brunnem. *ad l. 8. ff. de transact. n. 26.*

Th. XXVI. Actio ad lucranda dotem vel do-
nationem propter nuptias, quæ, dissoluto ex causa
adulterii matrimonio, læso ac innocenti conjugum da-
tur, hæredibus non competit, si pars læsa accusatio-
nem non moverit Chassan. in *Consuet. Burgund. Rubr.*
IV. §. 6. n. 19. quia sc. ad meram vindictam illatæ injuriæ
est comparata, qualis in hæredem non transit, cum
censeatur a defuncto dissimulando remissa *l. penult. ff. de*
in jus vocand. Struvius *Ex. 46. th. 81.* nisi pars læsa igno-
raverit, ubi hæredibus jus auferendi est integrum, uti
vult Brunnem. *Conf. 22. n. 3. §. seq.* Coler. *P. I. dec. 176.*
Sed quid si conjux conjugum, ex cujus culpa separatio
facta, hæres ex testamento extiterit; annon tanquam
hæres, dotem vel donationem propter nuptias lucra-
tam rursus amittit, sicuti conjux superstes amittebat?
Neg. neque enim conjux hoc casu conjugum succedens
illam repræsentat arg. *l. 38. ff. solut. matr.* quia hæc amis-
sio fit in pœnam atque ex delicto quod in hæredem
non penetrat: Hunn. *ad Treutl. vol. post. Disp. XI. th. 1.*
qu. 1.

Th. XXVII. Nuptiis quodammodo assimilatur
adoptio, quæ etiam personalis est, & morte expirat;

C 2

At-

Atque hinc adoptato ante patrem adoptivum mortuo, jus ex adoptione quasitum v. gr. ad alimenta, portionem ab intestato &c. ad patrem adoptati naturalem, aut alios ejusdem hæredes legitimos non transmittitur arg. *l. penult. §. 1. C. de adopt.* Eodem jure censetur fraternitas adscititia, quæ cum ex affectione personali oriatur, ideo morte alterutrius solvitur, neque alios in hæredibus effectus habet, quam quatenus per specialia pacta confraternitatis invicem est prospectum. Unde sicuti ipsi à se invicem necessariam hæreditatem aut legitimam ex solo fraternitatis hujus jure prætere- dere nequeunt Struv. *Ex. 10. tb. 11. inf.* ita multo minus liberi eorundem aut consanguinei ad hæreditatem alterius fratris, simul cum fratribus illius naturalibus eorumque liberis ab intestato admittuntur, nec beneficium competentia, quod nonnulli Dd. ex utili interpretatione per *l. 63. ff. pr. soc.* fratri adscititio tribuunt, ad hæredes ejus pertinet arg. *§. 1. 2. d. l. 63.*

Th. XXVIII. Inter jura quæ personis sui juris intuitu status Civilis competunt, dispiciendum est de Tutela & Cura. Potest autem hæc dupliciter considerari, vel quatenus consistit in cura vel administratione personæ ac rerum pupilli vel minoris; Vel quatenus quendam quasi contractum involvit, certasque præstationes personales complectitur. Priori casu officium personale est *l. ult. §. 1. ff. de muner. & honor. &* tam morte tutoris vel Curatoris quam pupilli & minoris extinguitur *§. 3. Inst. quibus mod. tutel. finit. l. 4. pr. de rat. tut. distrab.* nec interest sive tutela sit testamentaria seu dativa Gothofr. ad *l. 16. ff. de tut. adeo ut nec ad liberos tu-*

toris etiam perfectæ ætatis, jure hæreditario descendat, licet legitima tutela ex jure proprio ad illos pervenire possit *d. l. 16. §. 1. ff. de tutel.* limitatur tamen hoc in cœptis à defuncto tutore vel Curatore negotiis, quæ ab hæredibus sunt perficienda *l. 1. ff. d. fidejuss. & hæred. tutor. l. 27. ff. de appellat.* sc. ante redditas rationes, post enim ad prosequenda inchoata negotia non tenentur, arg. *l. un. §. 1. ff. si pend. appell. mors interven.*

Th. XXIX. Posteriori casu præstationes personales ex contractu v. gr. ad rationes reddendas, damna data resarcienda &c. ad hæredes quidem transeunt eoque nomine judicio tutelæ conveniri possunt, sed ita, ut de lata saltem culpa teneantur *l. 1. C. de hæred. Tut.* licet ipse defunctus & levem præstare debuerit *l. 7. arbitr. tutor. l. 23. de R. I.* tum quod gesta ipsius hæredis attinet, si in administratione perseveraverit aut cœpta à defuncto perfecerit *l. 4 pr. §. 1. ff. de fidejuss. & hæred. tut.* dum quoad facta ipsius tutoris defuncti *d. l. 1. C. de hæred. Tutor. l. fin. ff. eod.* Dissentit quidem Cujac. *13. O. 39. motus l. 2. §. 2. ff. de V. Oblig.* sc. quod conditio obligationis ex persona hæredis non mutetur, atque proinde vocabulum *non* in *l. 1. C. de hæred. tut.* expungendum tradit, provocans ad libros Basilicorum sed hoc non obstante nostra opinio communiter praxi est recepta, cum hoc peculiariter hæredibus tutorum datum sit constitutione Imperiali, ut saltem de lata culpa teneantur. Vid. Struv. in *Evolut. ad Synt. Civ. Ex. 31. th. 80.* Faber *I. Conject. 12.* qui plenius adversus Cujacium disputat. Ratio vero dictæ constitutionis Imperialis hæc videtur fuisse, quod tutelæ officium maxime sit

onerosum, atque sæpè invitis imponatur; deinde etiam, quia illud est intricatum, propter intervenientes rationes, quas nonæque perspectas habere possunt hæredes; quam tutor ipse gerens, ut proinde hoc casu omnino hæredum ignorantia sit subveniendum. Addatur Bachov. in *Treutler. Disp. IX. tb. 5. litt. D. E.* Montan. *de tutel. c. 39. n. 50.* Schrœr. *de Tut. & Cur. P. III. qu. 8. n. 11. & seqq.*

Th. XXX. Simile quid deprehendimus in hærede Magistratus, qui propter non exactam vel non factis idoneam receptam satisfactionem, saltem de dolo & lata culpa magistratus convenitur, quanquam ipse magistratus de omni negligentia *l. 4. ff. de magistr. conven. l. 2. c. eod.* Carpz. *P. III. C. 11. def. 35. n. 7.* Petr. Gregor. *Synt. Iur. L. 13. c. 10. n. 33.* Montan. *de Tutel. cap. 32. reg. 7.* Ex levi ergo vel levissima culpa magistratus hæredes non tenentur. Prückm. *Vol. II. Conf. 10. n. 125.* Oldend. *de Action. Class. IV. act. 37.* Schultes *quest. pract. 33. n. 11.*

Th. XXX. Tacita quidem hypotheca, quæ pupillo, & minori datur in bonis tutorum & Curatorum ratione gestæ tutelæ & curæ *l. 20. C. de administr. Tut.* ad hæredes quoque pertinet, quoniam ista non personæ, sed causæ est data Carpz. *P. II. C. 24. d. 13.* secus vero est in privilegio praelationis, quod tacita huic hypothecæ annexum, hoc enim personalissimum est, neque ad pupilli hæredes transit Coler. *P. II. dec. 274. & seqq.* Atque de hoc capienda est lex *42. ff. de admin. tut.* Quanquam enim Berlich. *P. I. Concl. 67. n. 33.* Richt. *d. Privil. Credit. D. 8. p. 220.* hoc generale esse velint, ita, ut nec tacita hypotheca ad hæredes pupilli per-

perveniat. Recte tamen negat Wesenbec. *P. III. Conf. 104* & Carpz. *L. IV. R. 33*. Etenim ut ipse Brunnemann, ad *d. l. 42. n. 2*. advertit, hypotheca tacita minorum demum jure Codicis inducta, unde hic textus licet generalis, saltem de privilegio prælationis personali erit interpretandus Barbof. in *l. 41. ff. solut. matrim. n. 54*. nec incongrue, sicuti enim circa privilegium prælationis & pignus tacitum, quod datur uxori, eadem servatur differentia in transmissione, uti supra demonstratum; ita quoque ex eo, quod jura juribus sint concordanda, idem ad hoc privilegium pupillare applicari poterit. Dicta porro sunt intelligenda etiam de illa hypotheca, & speciali jure prælationis quod datur pupillo vel minori in rebus pecunia illorum seu à tutore seu ab extraneo emtis, juxta *l. 7. ff. qui pot. in pign.* ita ut pignus hoc casu ad hæredes quosvis transeat attamen sine prælationis jure.

Th. XXXII. Ex statu hominum Civili, quam ex relatione ad integram Civitatem sortiuntur huc primo pertinet; Quod Magistratus Civiles, officia atque dignitates ad heredes ex transmissione non perveniant arg. *l. 6. ff. de jurisd.* Nec tenetur Princeps officia defunctorum liberis licet bene meritis conferre arg. *l. un. C. si post creat. qu. decess.* Christin. *Vol. 5. dec. 54. n. 28. & seqq.*

Th. XXXIII. Officiis publicis connexa est causa salariorum quæ itidem post mortem deberi desinunt, sc. respectu aliorum annorum, quos vivus non attigit defunctus Myns. *Cent. III. Obs. 8*. Et licet ex speciali dispositione juris residuum salarium anni, in quo officialis decessit, ab hæredibus peti possit, quamvis annum

annum illum defunctus non supervixerit *l. diem fun-*
cto 4. ff. de off. assess. l. 3. C. d. agent. in reb. Mævius P. IV.
decif. 200. ita ut jure hæreditario id ad quodvis hære-
 des transeat *l. 15. §. 1. C. d. advocat. div. judicior. arg.*
l. 11. C. d. prox. sacr. scrin. Carpz. P. II. decis. 136. n. 18. it.
P. II. C. 5. d. 10. n. 2. Hoc tamen ipsum plures patitur
 limitationes (1.) si officialis cui promissum salarium
 in culpa sit, nec officium diligenter egerit. *arg. l. 38.*
§. 1. ff. loc. l. 1. §. 13. ff. de extraord. cognit. l. 13. §. 9. C. d.
jud. (2.) Si salaria in semestria aut quadrimestria
 sint divisa, tunc enim non integri anni, sed inte-
 gri saltem semestris transit, Brunnemann. *ad d. l. 4.*
n. 4. Mævius ad Jus Lubecens. L. III. tit. 8. art. 7. n. 30.
 (3.) in salariis ac stipendiis, quæ ob operas illiberales
 dantur, uti sunt salaria famulorum, opificum, quæ
 vulgo vocant *die Gedinge* / &c. nam illorum hæres
 pro rata tantum temporis servitii atque operarum
 præstitarum mercedem accipiunt. *Cöler. dec. 201. n. 1.*
Et seqq. Ratio vero differentiæ hæc est, quod in ope-
 ris illiberalibus merces solvatur in compensationem
 operarum, adeoque secundum has actu præstas in-
 ceatur mercedis æstimatio; At operæ liberales æstim-
 ationem non recipiunt, & inde honorarium illis præ-
 stitutum ad ratam operarum tam præcise non debet
 reduci. *Conf. Gail. I. Observ. 44. Rauchbar. P. I.*
qu. 25.

CAPVT II.

DE

Furibus in re quæ ad hæredem non transeunt.

Th. I.



D modos acquirendi dominium naturales pertinet donatio, de qua duo præcipue casus circa transitum ad hæredes notandi. Primus est; Res contra prohibitionem legis inter conjuges donata, potest quidem à donatore si adhuc extet vindicari, sin consumpta sit, condici *l. 5. §. fin. ff. de don. inter vir. & uxor.* hoc tamen vindicandi aut condicendi jus ad hæredes donatoris non transit, quia morte donatoris, talis donatio inter conjuges confirmatur *l. 32. pr. §. 1. & seqq. de donat. int. vir. & uxor. l. 12. C. de donat.* Eodem modo & donatio patris in filium familias morte confirmatur *l. 25. C. de donat. int. vir. & uxor.* & licet pater semper rem donatam jure peculii profectitii recipere possit; tamen post mortem retinet filius irrevocabiliter, nec heredibus datur jus repetendi, nec in hereditate paterna conferenda est *l. 20. §. 1. inf. C. d. collat.* adeo ut nec fructus ex re donata ante mortem patris perceptos in hereditatem conferre debeat, quia hoc casu donatio vires suas non à tempore mortis capit, sed retrahitur confirmatio ad initium factæ donationis. Bachov, in *Trentl. Vol. II. Disp. 19. tit. 3. lit. G.*

D

Th. II.

Th. II. Alter est de donatione ob defectum aliquem solennitatum civilium invalida, sed juramento defuncti confirmata v. gr. si donatio ultra 500. solidos à defuncto jurato facta fuit, nec tamen actis infirmata. Et quanquam hoc casu renunciatio jurata ipsi donatori obstat, ut non sine reatu conscientiae revocare possit Struv. *Exercit. 40. th. 11.* attamen hæredibus non oberit, quo minus revocare possint, quia vis juramenti personam quidem donatoris impedit, non vero ad hæredes transit, qui hoc casu non ex persona defuncti sed propria, ob defectum donationis publicum rem repetunt. conf. Fab. in *Cod. L. 8. t. 38. def. 5.* Carpz. 2. C. 12. def. 14.

Th. III. Excipitur porro dominium civile, quod durante matrimonio maritus habet in fundo dotali *l. doce ancillam. 9. C. de R. V. l. 18. § 1. solut. matrim.* hoc enim in hæredes mariti non transit, sed jure Codicis sc. soluto matrimonio ad uxorem ipso jure revertitur arg. *l. 30. C. de jur. dot. Struv. Exercit. 30 th. 47.* Ex pari ratione ipsum jus quod dominio simile uxori constituitur in donatione propter nuptias arg. *auth. permissa. C. de donat. ant. nupt. Novell. 61. c. 1.* post mortem uxoris extinguitur arg. *l. unie. § 6. C. de rei uxor. act.* Nisi utroque casu vel pactis, vel statutis prospectum, aut culpa mariti vel uxoris fuerit matrimonium solutum, hoc enim casu parti innocenti plenum atque irrevocabile dominium etiam ad hæredes ejusdem transmissibile, acquiritur Struv. *Exercit. 30. th. 49. & seqq.*

Th. IV. Circa modos acquirendi dominium civiles, quod fit per usucapionem ac præscriptionem hic

hic in specie disquirendum; Num bona aut mala fides defuncti ad hæredem transeat. Et quidem quod attinet bonam aut malam fidem defuncti simpliciter consideratam sc. quoad actus arque imputationes personales aut reatum in foro conscientie contrahendum, nullum est dubium, quin non personalissima sit neque heredi profit aut noceat.

Th. V. Aut vero relate consideratur sc. respectu acquisitionis dominiorum &c. Atque eatenus quæstio illa diversis casibus est explicanda. Primus hic est; Defunctus rem non vitiosam possedit b. f. hæres succedens scit rem esse alienam atque ideo est in mala fide. Et quidem hoc casu Jure Civili b. f. defuncti transit in hæredem, ut hæres etiamsi in mala fide sit, illam rem ex persona defuncti possit usucapere quia una censetur defuncti & hæredis possessio, adeoque initium ejus saltem à defuncto b. f. factum inspicitur. §. 7. *J. de usucap.* Cum vero jure Canonico & moribus bona fides non tantum initio cœptæ possessionis sed & omni præscriptionis tempore adest, debeat *cap. 5. cap. fin. X. de præscript.* hinc omnino mala fides in persona hæredis superveniens interrumpit præscriptionem nec bona fides defuncti hæredi amplius ad complendam præscriptionem sufficit.

Th. VI. Secundus casus est, si defunctus fuerit in mala fide hæres in b. f. an vitium ex persona defuncti transeat in hæredem. Affirmandum hoc omnino ex jure civili juxta §. 7. *J. de usucap. l. ii. ff. de divers. & tempor. præscript. l. 2. C. d. fruct. & lit. expens.* Sed maxime hic controvertunt; Annon hæres ex sua

D 2

per-

Persona possit incipere usucapionem, si tempora defuncti computare nolit. Et placuit multis, posse hoc heredem facere per *l. 3. ff. probared.* nec mala fide defuncti impediri, sed verior est communis opinio in contrarium quam sequitur Wesenbec. *ad ff. b. t. & latius* deducit atque ad textus obstantes respondit Bachov. *ad d. §. 7. Inst. d. usucap. n. 4. & seqq.* Et si enim possessio non transeat sine speciali apprehensione in heredem *l. 23. ff. d. acqu. l. am poss.* postquam tamen semel ab heredem est apprehensa, continuatio ipso jure fieri intelligitur *l. heres. 43. pr. ff. d. usucap.* & sic vitium possessionis à defuncto contractum in heredem quoque continuatur *l. 11. C. d. acquir. poss.* qui sibi titulum possessionis mutare nequit *l. 33. §. 1. ff. d. usurpat.* Et hinc res defuncto commodata, locata, deposita, ab heredem usucapi nequit; licet adversus non dominum ex possessione b. f. retenta actionem publicianam & interdicta, it. utilem rei vindicationem post tempora usucapionis elapsa acquirat. Bachov. *d. Action. Disp. 3. tb. 21.* Struv. *Synt. Civ. Ex. 43. tb. 15.* Fallit tamen hoc (1) in præscriptione actionum, in his enim quia nulla possessio rei alienæ in heredem devolvitur, consequenter nec ficta illa m. f. transitio in heredem locum habere potest. Brunn. *Cent. 3. dec. 13. n. 5.* Inde licet debitor creditum nullo tempore possit præscribere propter malam fidem etiam si per 30. vel 40. annos non fuerit irerpellatus. *arg. cap. 5. X. d. præscript.* Hæres tamen si ignoraverit debitum nec per 30. annos fuit irerpellatus recte præscribit. Carpz. *l. Resp. 33.* Hopp. *ad d. §. 7. Inst. d. usucap.* Fallit (2.) quoad

quoad successores hæredis singulares, qui ex quocun-
que titulo rem ab hærede ignorante b. f. compara-
runt. §. 2. *in med. Inst. d. usucap.* Etsi enim ipse hæres
propter vitiosam defuncti possessionem rem nequeat
usucapere *l. 1. l. 4. C. pro hæred.* tamen usucapiendi fa-
cultatem rectè in alios transferre. *l. 37. pr. d. usucap. l.*
4. C. d. præscript. long. temp. Struv. *Exerc. 43. tb. 32.* sal-
vo sc. domino regressu adversus hæredem alienan-
tem. *arg. l. ult. C. d. usucap. pro hæred.* Fallit (3.) si hæ-
res non jure hæreditario sed alio titulo singulari rem
à defuncto acceperit, tunc enim respectu illius rei est
instar successoris singularis, cui m. f. antecessoris non
nocet in sua præscriptione. Conf. Bachov. *d. ad. Disp.*
3. tb. 21. (4.) In longissimi temporis præscriptione,
quæ hoc casu hæredi prodest. Struv. *Ex. 43. tb. 19.*

Th. VII. Sed an idem erit iudicium, circa fru-
ctus ex re aliena post mortem defuncti ab hærede per-
ceptos. Et quidem primum casum quod attinet, hæ-
res b. f. possessoris, si ipse in mala fide existat, fructus
ex persona defuncti non lucratur, neque hoc casu dif-
ferentia est inter jus Civ. & Canonicum. Quanquam
enim de jure Civili scientia rei alienæ in hærede su-
perveniens usucapionem non impediatur, secus tamen
est in acquisitione fructuum; Usucapio enim rerum
una est adeoque de jure Civili initium ejus non vitio-
sum fuisse sufficit; Acquisitiones autem fructuum
multæ sunt ac separatæ, atque hinc singulæ separatim
initium ac b. f. requirunt. Brunnem. *ad l. 48. ff. de A. R.*
D. d. n. 6. Eodem modo etiam de altero casu senti-
endum, ut nec hæres malæ fidei possessoris, si in b. f.

fuerit, de fructibus ulterius teneatur, quam instar alias b.f. possessoris sc. in tantum, in quantum ad ipsam ex iudicio defuncti pervenit, & adhuc extet, aut in quantum factus est locupletior arg. l. 52. de R. V. Struv. *Synt. Civ. Exercit. X. tb. 54.* Aut ab eo tempore, quo ipse in mala fide esse incipit v. gr. si lis super re vel hæredi moveatur, vel jam vivo defuncto motam ipse hæres susceperit, tunc enim *hæredis succedentis in vitium* sc. scientiam rei alienæ, *par fortuna habenda est l. 2. C. de fruct. & lit. expens.* quæ ita commodissime resolvitur. Confer Bachov, *Vol. I. in Tr. Disp. 15. tb. 12.* Donell. *Lib. IV. c. 24.*

Th. VIII. Ususfructum morte usufructuarii extinguendi juris est notissimi l. 3. §. fin. ff. quib. mod. ususfr. amitt. §. 3. *Inst. de usufruct.* nec interest sive sit actibus inter vivos constitutus l. 3. C. de usufr. sive ultima voluntate l. 26. ff. de usufr. leg. Sed quid si ususfructus expresse in personam hæredis simul fuerit concessus? Resp. tunc ad hæredes transit l. antiquitas. 14. C. de usufr. At vero saltem ad hæredes primi gradus, non in infinitum ad omnes successores; ne sc. alias inutilis foret proprietario relicta proprietas d. l. 14. Hunn. de usufr. *Part. 1. Sect. 1. c. 7. qu. 1.* Multum vero controversant hic interpretes, quo jure ad hæredes perveniat. Alii quidem putant, jure *transmissionis*, adeo, ut ususfructus in persona defuncti constitutus transmittatur & continuetur in hæredem, & sic pro uno usufructu répuetur Hopp. ad §. 3. *Inst. de usufr.* Verum cum contra naturam ususfructus sit, ut ad hæredes transeat l. 23. C. d. SS. *Eccles. l. 38. §. 10. de V. O.* & præterea vox trans-

transmissionis latior sit & quosvis hæredes complectatur, quos tamen conditio ususfructus ex præsumpta testatoris vel contrahentium voluntate respuit; Inde potius illorum accedimus sententiæ, qui dicunt, jure *substitutionis* sc. fideicommissariæ ad hæredem pertinere; ita, ut duo successive relictæ aut constituti censeantur ususfructus, ex quo primus morte legatarii sive stipulatoris finiatur, secundus, morte hæredis, nec ad hæredis hæredem veniat. Noal. *d. transmiss.*
Struv. *Synt. Civ. Ex. XII. tb. 33. cap. 65. n. 4.*

Th. IX. Similiter Usus, Habitatio aliæque servitutes ad personam tantum concessæ in vitam usque datæ saltem intelliguntur & hinc morte desinunt *l. ii. C. de usufr.* Sed quid si ususfructus &c. ad certum tempus fuerit constitutus atque is cui constitutus ante elapsum tempus decesserit, annon residuum lucro hæredum cedit? Neg. Personalitas enim horum juri-um hoc non permittit, arg. *l. 35. ff. de usu & usufr. leg. conf. Berlich. P. V. Conclus. 38. n. 18. & seqq. Pruckmann. Vol. I. Cons. 35. n. 20.*

Th. X. Circa successionem quæ fit ex testamento notandum primo, quod inhabilitas defuncti hæredem non impediat, quo minus de bonis etiam ab inhabili quæsitis libere testari possit. Etenim facta semel hæreditatis aditione bona defuncti & hæredis ita confunduntur, ut unum habeatur patrimonium ipsius hæredis, qui proinde testandi facultate naturaliter concessa ex persona defuncti privari nequit, eum edictum de Testamentis prohibitorium sit strictæ interpretationis, & inde ultra personas speciatim prohi-

hæritas non extendendum Reusner. *de testament. P. II. Cap. 1. n. 5. & seqq.*

Th. XI. (2) Quod institutio sit personalis, ipsoque instituto hærede ante testatorem mortuo, jus aut spes adeundi ad hæredes instituti non transmittatur arg. *l. 6. C. d. Inst. & substit.* Struv. *Ex. 33. th. 19.* Eadem ratio quoque est in substituto, si is ante testatorem decesserit arg. *l. un. §. 5. C. d. cad. toll.* Struv. *Synt. Civil. Exercit. 35. th. 18.* nec non in herede fideicommissario, Gail. *II. O. 132.* Omnia enim hæc jura ex singulari affectione testatoris profiscuntur, quæ eadem forte erga hæredes hæredis esse non potest *l. penult. ff. de serv. legat.* Sed quid si institutio, substitutio aut fideicommissum sub conditione vel die incerto sit relictum & institutus quidem testatorem supervixerit, dies vero vel conditio demum post mortem instituti existat? Resp. nihil ominus jus in hæredibus expirat, quia vivo instituto dies non cedit arg. *l. unic. §. 7. C. de cad. toll.* Gail. *II. O. 132.* ita ut nec ad descendentes hoc casu transmittatur hæreditas, vel fideicommissum conditionale. Faber. *in Cod. Lib. VI. t. 20. def. 14. 38. t. 27. def. 2.*

Th. XII. Idem juris est in exhæredatione, quæ tollitur tum per mortem ipsius cui potestas exheredandi competebar; Ita patre mortuo reliqui liberi cohæredes filium licet impiissimum non possunt hæreditate paterna excludere, quanquam diserte probare velint, causam exhæredatione dignam adversus patrem commisisse, patre enim non exhæredante, injuria censeretur remissa, neque jus exhæredandi ad hæredes transit conf. *l. 48. §. 1. ff. de hæred. instit.* Tum etiam morte ipsius

ipſius exhæredandi, neque enim aut mortuus exhæredari poteſt *l. 29. §. 10. ff. d. liber. & poſt. b.* neque exhæredatio in tempus mortis collata rite facta cenſetur *l. 29. §. 2. ff. de lib. & poſt. b.*

Th. XIII. Uti exhæredatio perſonam non egreditur, ita nec querela inofficioſi aut nullitatis ad hæredes niſi præparata transmittitur *l. 6. §. fin. l. 7. ff. d. quer. inoff. teſtament.* Sed annon ante præparationem ad liberos exhæredati tranſit? Diſting. Aut exhæredatus querelam repudiat; vel expreſſe vel tacite, non inſtituens illam ſc. intra quinquennium, & eo caſu liberi teſtamentum avi ex ſua perſona impugnare non poſſunt, quia ſequentes invicem in eodem ordine ſibi in querela non ſuccedunt Gometz. *variav. Reſolut. 11. n. 8.* Aut vero exhæredatus decedit antequam declaraverit ſuam intentionem, an velit querelam movere nec ne; Et hoc quidem caſu alii indiſtincte affirmant, querelam etiam non præparatam ad liberos tranſire per *l. 34. C. d. inoff. teſt.* Brunnem. *d. Ceſſ. act. c. 4. n. 58.* verum alii rectius *d. l. 34.* pro ſubjecto caſu ſpeciali non generaliter, ſed ſtrictè de eo caſu ſpeciali accipiunt, quando exhæredatus ante aditam ab extraneo hærede ſcripto hæreditatem deceſſerit; poſtea ergo decedens & non querelans jus nullum ad liberos transmittit Struv. *Synt. Civ. Exercit. X. 1b. 29. & 29.*

Th. XIV. Inter reliqua teſtamenti capitula morte deficiunt legata, hæc enim legatario ante teſtatoreſ moriente, ad hæredem legatarii non tranſmittuntur *l. unic. §. 2. 4. C. d. cad. toll.* idque non tantum

tum obtinet in legatis sub conditione relictis, si ante illius existentiam legatarius fuerit mortuus *l. 4. pr. ff. quand. dies. legat. l. 10. pr. ff. de adimend. vel. transf. legat. sed & in iis, quæ pure relicta sunt, Struv. Exercit. 35. tb. 84.* multo magis ea, quæ in arbitrium ac voluntatem hæredis collata, morte hæredis deficiunt. *l. 43. §. 2. d. l. 1.* Eodem modo facultas revocandi, adimendi ac transferendi legata quæ testatori indistincte competit *tt. ff. d. adimend. vel transf. legat.* hæredibus nil prodest, morte enim testatoris irrevocabiliter legata confirmantur *t. ff. quand. dies legat. ced.*

Th. XV. Atque hoc quidem facilius admittendum in legatis illis morte legatarii caducis, quia pleno jure defuncto quæ sita non fuerint, & hinc supervacanea de eorum transmissione videri posset inquisitio. Verum etiam præter ea aliæ sunt adhuc legatorum species, quæ post mortem legatarii, licet acquisita, desinunt. (1.) Est in usufructu usu &c. de quo supra dictum fuit, cui adjiciendus hic est (2.) redditus fundi annuus legatus, qui etiam personalis est, neque ad hæredem transitorius *l. 22. ff. de usufr. legat.* eodem jure (3.) censetur quælibet annua vel menstrua pensio aut præstatio ab hærede præstanda, quæ quidem plura in se continet legata, adeo ut primi anni purum habeatur, insequentium vero conditionale, si sc. vivat legatarius *l. 4. l. 11. 12. d. ann. & mens. legat.* adeoque morte ejusdem finitur *l. 8. ff. eod. Sand. decis. Fris. IV. tit. 4. def. 5.* Struv. Exercit. 35. tb. 29. (4.) Huc pertinet legatum dotis, quando sc. obligatio legati in futurum nuptiarum eventum suspenditur,

tur, hoc enim conditionale est, & hinc, legataria ante nuptias moriente, hæredes nihil petere possunt *l. 71. §. 3. ff. d. condit. & demonstrat. Heig. Part. 1. q. 31. n. 2.* An vero ad hoc, ut impleta habeatur nuptiarum conditio, sponsalia de præsentibus à legataria celebrata sufficiunt? Negat. *Carpz. III. 13. 25. (5.)* Legatum optionis olim habebat tacitam conditionem, atque ideo nisi ipse legatarius optasset ad hæredem non transmittetur *§. 23. Inst. d. legat.* quod tamen jure novo purum est atque in hæredes transit *d. §. 23. l. ult. pr. C. comm. de leg. (6.)* Legatum alimentorum vel cibariorum, quod quidem à parte ejus, qui præstare tenetur reale est, atque ad hæredes transit *l. 2. §. 1. ff. de aliment. legat.* respectu ejus vero cui præstantur, morte finitur nec ad hæredes pertinet *l. 14. pr. ff. de aliment. leg. l. 8. §. 10. d. transact. Brunnem. de cess. Act. c. 4. n. 26. Struv. Exercit. 35. tb. 69.* adeo ut nec futura alimenta, licet ad certum tempus relicta, hæredibus debeantur, sc. quoad residuum, quod defuncto supererat. *Carpz. IV. Resp. 57. Gail. II. O. 88. n. 13. Coler. d. Aliment. L. 1 l. c. 12. n. 44.* Denique (7.) hoc procedit in omni legato personali, quod ex speciali erga legatarium affectione proficiscitur, uti exemplum est in *l. penult. ff. de servit. legat. l. 39. §. 4. ff. de legat. 1.*

Th. XVI. Legatis hæcenus exæqnata sunt donationes mortis causæ, & fideicommissa particularia, mortuo enim donatario ante donatorem, vel fideicommissario ante testatorem, donatio ac fideicommissum intercidit *l. 35. ff. §. 2. de don. m. c. l. 42. pr. ff. eod. Struv. Exerc. 40. tb. 22. Stryck. de Success. ab intestato diss.*

30 *Diff. 10. c. 4. §. 2. Fab. in Cod. L. 8. t. 36. d. 21.* Et denique, ad instar legatorum, à donatore quidem indistincte revocari possunt *l. 30. l. 35. §. 2. de donat. m. c.* At hæc pœnitendi facultas, non datur hæredibus, quia morte confirmantur. *l. 32. de donat. m. c.*

Th. XVII. Circa hæreditates quæ ab intestato deferuntur, prima est observatio de jure Suitaris, quod omnino personalissimum est, nec ad hæredes transmittitur, ne quidem suos in specie sic dictos. Licet enim prædefuncto filio patre, nepotes fiant sui heredes avo, tamen id non fit ex jure quodam transmissionis personalis aut representationis, sed jure proprio; Ex quo est, quod nepos, patre ejus qui se non immiscuit paternæ hæreditati defuncto, ad avi hæreditatem jure Prætorio admittatur, licet suo patri hæres non extiterit *l. ult. C. und. lib. Frantzk. Exercit. 8. qu. 3. 4. Struv. Synt. Civ. Exercit. 38. th. 16.*

Th. XVIII. Similiter beneficium abstinendi quod Prætor suis indulget mere personale esse volunt, nec ad hæredes pertinere. Unde hæredem filii ante immixtionem mortui abstinere non posse, si filius non declarata voluntate decesserit arg. *l. 28. ff. de reb. auct. jud. possid.* nisi filius decesserit, antequam sciret delatam esse sibi hæreditatem, tunc enim nepos beneficio patris fruitur *l. 7. §. 1. de acq. hered.* Nec vice versa hæres minoris adversus immixtionem à minore factam potest restitui in integrum; tametsi filius restitutionem petere posset. Etsi enim jus petendæ restitutionis ex capite minorennitatis ad hæredem quemlibet minoris, etiam majorem transmittatur *l. 6. ff. de in integr.*

tegr. restitut. l. 8. d. minor. hoc tamen in hac specie notabiliter fallit. Faber. in *Cod. L. II. t. 22. def. ult.*

Th. XIX. Liberi quidem naturales patri suo certo casu in sextante cum matre dividenda succedunt, hoc tamen ad hæredes illorum licet iusto matrimonio prognatos non pertinet *l. fin. C. de natur. lib.* Struv. *Exercit. 38. tb. 22.*

Th. XX. Adoptati quidem ab extraneo, patri adoptivo ab intestato morienti cum reliquis liberis legitimis in virilem portionem succedunt *l. pen. §. 1. C. d. adopt. l. 5. C. d. suis & legit. hæred.* hoc tamen jus succedendi in hæredes non transmittunt, quum morte solvatur adoptio jus vero illorum successione dissoluta adoptione expiret arg. *d. l. pen. §. 1. C. d. adopt. conf. Forst. de success. ab intestat. L. I. c. 10.*

Th. XXI. Jus bonorum possessionis Prætoriam ad hæredem non transit, si ille cui petenda erat, ante agnitionem mortem obierit *l. 3. §. 7. ff. de bonor. possess.* Struv. *Ex. 37. tb. 7.*

Th. XXII. Hæreditas quidem semel delata ad hæredes transmittitur, si ante declarationem voluntatis hæres decesserit *l. ult. C. de jur. deliber.* Sed quid si hæres quædam gerere cœperit, non constat vero an animo adeundi hæreditatem fecerit nec ne, atque ita decesserit? Volunt interpretes, quod animus iste per hæredis hæredem explicari non possit, & in dubio credendum sit, defunctum fecisse ea animo adeundæ hæreditatis, ut hinc repudiandi libertas hæredis hæredi de Iure Civili hoc casu non detur Fab. in *Cod. L. VI. t. 12. d. 13.*

Th. XXIII. Ipse hæres adiens hæreditatem sibi delatam, licet ad inventarium vel juratam specificatio-
ne creditoribus defuncti teneatur; tamen hæc obliga-
tio ad hæredis hæredem non transit illustr. L. Baro de
Lyncker. *decis. 514.* nec juramentum illud ad hæredes
est transitorium, defuncto sc. eo, qui jurare jussus
est, ante præstationem jurisjurandi Cöler. *P. I. dec. 116.*
n. 11. Zobel. *P. I. differ. 29.* adeo, ut nec de credulitate
jurare teneantur, nimirum nec scire hæredes nec cre-
dere, præter res hæreditarias in consignatione seu spe-
cificatione à defuncto exhibita notatas ulla alias in
hæreditate occupata fuisse repertas. Carpz. *P. III. C. 14.*
d. 33. it. VI. Resp. 66. Mod. Pistor. *P. 3. qu. 126.*

Th. XXIV. Circa pignoris causam nihil hic in
specie notandum occurrit, nisi illud, quod pignus
creditoribus defuncti in bonis ejusdem sive expresse
seu tacite competens, bona hæredis propria non affi-
ciat *l. 1. in fin. C. comm. de legat.* Fab. *in Cod. L. VI. t. 32.*
def. 15. it. quod hæres actione hypothecaria conven-
tus, non proportionem hæreditaria, sed in solidum li-
tem suscipere debeat. Fab. *in Cod. L. 8. t. 6. def. 5.*

Th. XXV. Renunciatio legitimæ hæreditatis
facta à matre quæ ante patrem mortua, non nocet e-
jus liberis, quo minus ex propria persona avo postea
defuncto succedere possint Faber. *in Cod. L. VI. t. 32. def. 1.*
etiamsi mater pro se suisque heredibus renunciaverit
Hartm. Pistor. *P. IV. qu. 7. n. 7.* Richt. *decis. 68. n. 28.* Nec
obstat, quod nepotes avo succedant in stirpes, adeo-
que jure repræsentationis. Verum Resp. repræsen-
tant hoc casu nepotes gradum non personam paren-
tum

tum, ex quo fit, quod renunciatio quæ personalis est, nocere nequeat nepotibus proprio jure venientibus *l. Seja 73. ff. de Evict. l. 5. §. 1. d. divers. præscript. Carpz. P. II. C. 35. def. 11. Struv. Exercit. 38. tb. ult. Faber. in Cod. Lib. II. t. 3. def. 1.* Porro ampliatur, etiam si matris hæredes extiterint, quo tamen casu pecuniam, dorem &c. matri pro renunciatione datam conferre tenentur *Fab. in Cod. l. cit. def. 1. 14. 16.*

Th. XXVI. Possessionem defuncti ad hæredem non transire, satis aperte evincit *l. 23. pr. ff. de acq. l. amitt. possess.* illustris L. Baro de Lyncker *Decis. 547.* hæc enim cum facti sit & animi *l. 19. ff. ex qu. c. maj. f. in detentione cum animo sibi habendi consistat l. 8. ff. eod.* adeoque ita detinente mortuo, & ipsa detentio, quæ factum personæ est, perit *l. 1. §. 15. si is qui testam. lib. esse juss.* *Struv. Synt. Civ. Exercit. 42. tb. 17.* atque ideo hæres ad eam consequendam naturali apprehensione opus habet *l. 1. §. 16. ff. de acq. l. omitt. hæred. Molin. de Just. & I. Tract. II. Disp. 3. n. 18.* neque etiam in suos hæredes transit possessio *Gail. L. II. O. 129. n. 4.* etiam si Ecclesia aut pia causa alia hæres instituta *Gail. L. II. O. 152. n. 6.* sive defunctus ipse, sive per alium possederit *l. 30. §. 5. ff. de acq. l. amitt. possess.* nec possessio ab hærede directo apprehensa prodet fideicommissario, etiam si verbis jam fuerit restituta hæreditas *l. 63. pr. ff. ad SC. Trebell. Menoch. remed. ad ipse. poss. 4. n. 166. & seqq.* nec apprehensa unius rei possessio ceterarum rerum, quæ in hæreditate sunt, possessionem transfert, nisi & hæc speciatim fuerint apprehensæ *Myns III. O. 39.* Et hinc constitutum possessorium translatum post mortem

tem non valet Chassan. in *Consuet. Burgund. Rubr. VII.*
 §. 1. p. 398. Nec hæres ante adeptam possessionem contra possessorem hæreditatis, iudicio spoli aut retinendæ possessionis experitur, sed petitorium iudicium aut possessorium adipiscendæ instituire debet l. 9. & seqq. ff. de hæredit. petit. l. 7. C. cod. Gail. d. observ. 129. n. 8. & seqq. Thoming. dec. 11. Ius tamen occupandi vacuum possessionem hæreditatis recte in hæredem transit Brunnem, ad d. l. 23. n. 4. & seqq. nec non civilia comoda juris quæ ex apprehensa ab hærede possessione oriuntur in eundem sine interruptione continuantur, quæ est resolutio l. 30. ff. ex quib. caus. maj. l. 76. ff. de contrab. empt.

Th. XXVII. Per statutum tamen ac consuetudinem effici posse, ut ipso iure in hæredes translata habeatur possessio, sc. quoad effectus civiles, non dubitamus. Qualem consuetudinem in Gallia nec non comitatu Burgundico obtinere, peculiari tractatu testatur Tiraquellus in Chassan ad *Consuetud. Burgund. Rubr. VI. §. 1.* eandemque in Hispania quoque circa bona Majoratus receptam esse notat Covarruv. L. III. *Variar. Resolut. c. 5. n. 6.* Est tamen illa possessio civilissima & saltem per fictionem juris inducta, id quod ideomate Gallico exprimitur, *Le mort saisit le vif* i. e. mortuus *saisit* vivum scil. hic mortuus pro moriente fingitur in ultimo spiritu *saisire* h. e. manuducere vel ponere hæredem in totius hæreditatis veram ac naturalem possessionem Argent. *rubr. d. interd. pag. 8.* Quatenus tamen merum factum in se continet, eatenus naturalis sine apprehensione non transit. Et ideo hæres

res si antequam naturalem possessionem apprehen-
dat, vendiderit hæreditatem sibi delatam, & illam
per constitutum possessorium tradiderit, illa traditio
ficta nihil operatur, nec satisfecisse ex eo contractui
intelligitur, ne sc. duæ fictiones circa idem concu-
rant Chassan. *l.c.p. 896.* Porro transit quidem ita pos-
sessio ipso jure, sed ita demum si agnoverit hæreditatem,
inde in hæredem ignorantem aut invitum statutaria
illa possessio ipso jure non transmittitur Fab. *in Cod.*
L.VII.t. 4. def. 4.

Th. XXVIII. Denique ad illam possessionem,
quæ per constitutum possessorium transfertur, volunt
nonnulli per mortem tum constituentis tum constituta-
rii extingui Telf. *Dec. 38.* Menoch. *remed. 14. recup pos-
sess. n. 65. & seqq.* Verum etsi hoc ratione constitutarii
admitti possit, quod morte possidere desinat. Atta-
men quod morte constituentis constitutarius posside-
re desinat, rectius negatur. Etenim cum per modum
istum constituti non civilis saltem & ficta, sed vera
realis ac naturalis transferatur possessio, perinde ac
per traditionem veram, inde possessio semel transla-
ta, non amplius ex jure & persona constituentis, sed
propria constitutarii pendet, atque ipsius vita vel morte,
non constituentis, æstimatur, Fab. *in Cod. L. VII. t. 7.*
def. 39.

CAPVT III.

DE

Juribus ad Rem seu Obligationibus, quæ per mortem defuncti perimuntur.

Th. I.



HX jure obligationum occurrit Pollicitatio; quæ quidem quatenus præstationem quandam realem continet, eatenus obligatio atque actio tam contra pollicitatores, quam eorum hæreses locum habet *l. 2. §. 2. h. g. ff. d. pollicit.* Quando vero in facto quodam personali, pietate & fide, consistit v. gr. voto continentiæ, jejunio, precibus &c. tunc morte voventis extinguitur. *Suarez. d. Tot. L. IV. c. 9.* sic si quis voverit se velle per decennium proximum pauperibus dare singulis annis centum, & ipse nondum elapso tempore decesserit, hæres non tenebitur ad implendum residuum nisi per testamentum hoc ipsi fuerit injunctum *Puff. d. jur. Nat. & Gent. Lib. IV. c. 2. §. 17.*

Th. II. Circa pacta primo notandum quod deficiat in hærede jus acceptandi promissum vel oblatum, si alter ex contrahentibus imperfecto negotio decesserit. *Videtur enim, ut ait Grotius, hoc in arbitrium*

trium contrahentis collatum, non hæredum d. 7. B. & P. L. II. c. 11. §. 16. & quidem nihil interest, si ipse promissor moriatur, tunc enim ejus hæredes oblatum ab ipso factum reperere aut ratihabere non tenentur; Nec acceptatio post mortem promissoris est valida, arg. l. 10. ff. de donat. Struv. Exerc. 40. tb. 8. siue is cui promissio facta, quo casu promissor impunè pœnitere potest, invitis licet stipulatoris hæredibus. Struv. Decif. Sabbath. cap. 2. dec. 7.

Th. III. Defunctus contrahens licet non ignarus debeat esse conditionis ejus, cum quo contrahit & ideo si damnum inde perpeffus fuerit suæ facilitati id debeat imputare, nec ipsi subvenitur arg. §. fin. Inst. de Societ. l. 3. ff. de fidejuss. attamen ejus hæredi hoc imputari non potest l. 20. d. R. 7. quippe qui isti contractui non interfuit, sed ex postfacto supervenit.

Th. IV. Porro Pacta licet defuncti acceptatione perfecta, tamen hæredi nec profunt nec proficiunt ea, quæ dicuntur personalia, quæ speciatim ad personas paciscentium sunt restricta l. 17. §. 3. ff. de pact. l. 25. §. 1. ff. eod. sic pactum filii, ne à se peratur, prodest quidem ipsi & patri, non tamen hæredi ejus l. 21. pr. ff. de pact. Struv. Syntag. Civ. Exerc. 6. tb. 48. Hunn. de Pact. cap. 4. qu. 10.

Th. V. Conditiones quidem casuales conventionibus adpositæ transmissionem in hæredem non impediunt §. 4. Inst. de V. O. §. 4. Inst. de inut. stipul. Mixta vero aut potestativa si fuerit adjecta, facultas implendi conditionem ad hæredem non transit arg. l. si decem. 48. ff. d. V. O. quia sc. conditio in forma specifica

eifica ab ejus persona adimpleri debet in cujus est formata. Gail. II. *Obs.* 2. n. 3. Et hinc conditio illa si Titio dederit, non impletur dando hæredi l. 44. pr. ff. de condit. & demonstrat. l. 69. ff. eod. Hunnius ad Trentl. Vol. post. Disp. 27. tb. 6. qu. 46. Covarruv. *Pract. quest.* 39. n. 6. Gometz. II. *var. Resolut.* n. n. 36. Eodem modo & obligatio in arbitrium ac voluntatem promissoris collata, morte intercidit, neque hæres promissoris inde tenetur; si ante voluntatem suam non declaravit defunctus l. 8. ff. de O. & Act.

Th. VI. Mora quoque à debitore contracta solvitur morte creditoris ita ut hæredes creditoris contra debitorem ad præstationes moræ pœnales agere nequeant, atque ita hæres domini propter moram in solvendo canone commissam contra emphyteutam ad privationem agere nequit Struv. *Ex. XI. tb.* 73. Mortuo vero debitore, mora siquidem semel commissa in hæredem perpetuatur l. 91. §. 3. d. V. O. At ab hærede ignorante factum defuncti ex persona aut conventionione defuncti non contrahitur, quia sc. ignorantia facti alieni excusat, & hæredi damnosa esse non debet. *fin. ff. pro suo l. 11. ff. ad Sc. Vellej.* unde hæres propter justam ignorantiam promissionis per defunctum factæ solvere recusans, non est in mora, & ideo ob moram ad usuras non tenetur Bronchorst. *ad. l. 42. ff. de R. J.* sic porro si hæres emphyteutæ ignorans qualitatem fundi, rem emphyteuticam sine consensu domini directi alienaverit, aut canonem non solverit jure suo non cadit, sed excusatur propter ignorantiam facti alieni l. 2. C. de jure emphyteut. Bronchorst. *l. c.*, Sichard. *in l. 2. C. de Jur. emphyteut. n. 25.* Th. VII.

Th. VII. Ad coercendum dolum, moram &c. promissoris solet aliquando pœna conventioni adjici, cujus obligatio an ad hæredes transeat. *qu. si sc. stato à defuncto tempore solutio non fuerit facta? Resp. Distingui. An dies venerit vivo promissore an post mortem. Priori casu mora ipso jure censetur commissa l. 12. C. de contrab. & comm. stipul. & inde obligatio pœnalis in hæredem transit, quia hætenus pœna interesse privatum persequitur. Aut vero post mortem promissoris; Et tunc quidem stricto jure pœna in hæredem absentem atque ignorantem conventionem defuncti committitur per l. 49. §. 2. ff. d. V. O. l. 77. eod. Sed ex æquitate hæredi hoc casu datur restitutio ex clausula generali Edicti Prætorii propter justam ignorantiam facti alieni l. 42. ff. de R. l. ibi Bronchorst.*

Th. HX. Fiunt denique pacta vel simpliciter vel jurato, Etsi autem vinculum juramenti promissorii hæredes quoque afficiat, atque ex jurejurando defuncti & hæredibus & adversus hæredes jurantis actio nascatur arg. *cap. 9. X. de jurejur.* Attamen hoc saltem capiendum est, quoad obligationem & præstationes personales ex conventionione principali descendentes, hætenus enim ex promisso transit obligatio. Covarruv. *in cap. quamvis de pact.* Burfat. *Volum. 3. Const. 339. n. 7.* Non vero quoad vim, effectum ac pœnam perjurii, quæ in hæredes contractum defuncti juratum violantes non cadit. Rol. à Valle *Vol. I. Const. 17. n. 15. 16.* Ziegl. *ad Grot. L. II. c. 13. §. 17.* Nam ut ait Puffend. *d. J. N. & G. Lib. IV. cap. 2. §. 17. Ob restitio divina vindictæ obligationi simplici superaddita personam ejus, qui juravit non egreditur. Cum hæres dicitur*

nequeat neglexisse reverentiam divini Numinis, quod ipse in testem non invocaverat, adeoque iste hæres simplicis duntaxat perfidius erit. Gail. I. Obs. 27.

Th. IX. Atque id multo magis procedit, si ipsa principalis conventio cum defuncto facta exceptione quadam elidi potuerit e. g. metus, doli &c. qualis juramento confirmata licet secundum Grotium aliosque Moralistas non possit a defuncto revocari, nisi relaxatione à Principe impetrata, hoc tamē ipsum jutamentum non stringit hæredes, quo minus promissum à defuncto impune violare possint. Grot. d. J. B. & P. L. II. c. 13. §. 17. L. III. c. 19. §. 5. nec ad hoc absolutione speciali a juramento opus habent. Faber in *Cod. Lib. IV. tit. 1. def. 3.* Jac. Mandel. *Conf. 77. n. 18.* Gail. I. O. 25. n. ult. Datam vero semel à defuncto hoc casu rem neque extantem vindicare, nec consumptam condicere hæredes poterunt. Ziegl. in not. ad *d. l. Grotii Frantzk. Lib. II. Resolut. 6. n. 25.*

Th. X. Ex contractu mutuū huc pertinet illa juris communis decisio, quod hæres non teneatur ex debito patris, de quo in vita patris nil constitit aut liquidatum fuit, quam colligunt interpretes ex lege *qui Romæ 122. §. Aggerius 4. ff. de V. O. Cöler. P. I. dec. 30. n. 17.* Quod tamen indefinite capiendum non est, sed de eo saltem casu, quando quis sive hæres sive extraneus per constitutum, expromissionem, novationem, fidejussionem &c. debitum alicujus hac conditione in se receperit, si illud liquidatum fuerit, hoc enim promissum tacitam in se videtur continere conditionem, si vivo debitore principali constitit, unde si in vita istius cal-

calculus non subducatur, nec de debito conflet, non tenetur promissor juxta d. §. 4. quia sicuti facultas implendi conditionem, non transit ad heredem, ita neque ex persona heredum potest impleri conditio, ut obligetur tertius Brunnemann. ad §. 4. Idque partim propter personam debitoris atque naturam promissionis; partim ob personam promissoris receptum. Hujus enim interest, ut in vita debitoris debitum reddatur liquidum, qui melius est illius gnarus quam heredes, ne alias ultra modum promissor gravetur. Deinde debitori principali hoc casu beneficium exhibere voluisse videtur promissor, quod cum ex affectione personali oriatur, morte ejus expirat, nec heredibus prodest; ex quo etiam Julianus decedit, quod conditio fidejussori imposita, si reus non solverit, intelligenda sit, si ipse vivus non solverit l. 16. §. ult. ff. de fidejuss.

Th. XI. Stipulationes faciendi olim in heredem non descendebant, cujus juris vestigium occurrit in l. 46 §. i. ff. de V. O. quod Justinianus correxit in l. Veteris 13. C. de contrab stipulat. quæ tamen correctio ad illa facta non pertinet, ubi singulariter personæ industria electa, quæ ab herede explicari non possunt arg. l. unie §. 9. C. de caduc. toll. uti est in operis artificialibus promissis l. inter artifices 31. ff. de solut. Gail. II. Obs. 2. n. 19.

Th. XII. Certis quoque casibus obligatio ex fidejussione contracta morte fidejussoris extinguitur cujus exemplum 1) singulare est circa casum evictionis, etsi enim evictionis nomine datus fidejussor, ipse rem cujus intuitu intervenit vindicare nequeat l. n. C. de Evict. Heres tamen fidejussoris ex propria persona h. e. ex dominio, proprio jure ipsi, non ut heredi, competente rem vindicare non prohibetur, neque exceptione doli repelli potest. Ipsa enim appro-

probatio venditionis ob quam fidejussor à vindicatione excluditur, videtur quid personale esse, adeoque hæredi non obtinere, quo minus proprio jure evincere rem possit Struv. *Synt. Civ. Exerc. 27. th. 27.* Hering *de fidejussoribus c. 20. §. 10.* (2.) exemplum est, ubi fidejussio facta fuit pro maleficio, de sistendo se reo &c. & quidem simpliciter atque indefinite non expressa certa pœna; quia sicuti morte extinguitur crimen nec regulariter transit contra hæredem delinquentis; ita etiam fidejussio simpliciter facta per mortem fidejussoris extinguitur Rol. à Valle *Vol. I. Conf. 58. n. 5.* atque eatenus accipiendus est textus **Land. Recht Lib. 1. art. 6. Das der Erbe keine Schuld gebe / er sey den selbst Bürge worden** h. e. hæredem non teneri ullum debitum solvere, nisi ipse fidejusserit, sc. si defunctus maleficii causa fuerit obstructus. (3) Casus specialis est juxta Constitutionem Saxoniam *Part. II. C. 20.* Quando plures fidejussores ita se obligant, pro principali, ut in casu decedentis unius vel plurium ex confidejussoribus, alii in locum defunctorum substituantur, quo casu ista obligatio personaliscensetur vi pacti effecta, nec ad hæredes extenditur Cöler. *P. I. Dec. 30. n. 6.* Moller. ad *d. conf. 20.*

Th. XIII. Ex contractu emti venditi à defuncto celebrato hæres quidem regulariter tenetur *l. 4. C. de R. V.* fallit tamen hoc ipsum 1) quando alienatio fuit ipso jure nulla arg. *l. 7. C. de agric. & censit. Socin. Lib. IV. Conf. 29. n. 47.* Fab. in *Cod. L. IV. tit. 11. def. 1. 4.* inde filia etiam si patris hæres extiterit, non prohibetur vindicare utensilia à patre sine decreto alienata Carpz. *P. II. C. 14. d. 70. n. 7. & seqq.* it. alienationem bonorum maternorum factam per patrem filius rati habere non cogitur etiam si hæres extiterit aut consenserit, quia consensus contra legem præstitus nullus est *l. 1. C. d. bon. matern.* quanquam ex causa hæreditaria ad evictionem obligetur arg. *l. 37. de evict.* Fab. *L. VI. l. 32. def. 2.* it. fideicommissum à patre alienatum filius, licet hæres patris, recte revocet, quamvis pro parte hæreditaria ad evictionem teneatur Fab.

Fab. in *Cod. L. VII. l. 30. de ff. 5.* (2) Si alienatio facta minori pretio fuerit in fraudem legitimæ aut alimentorum; tum enim res à patre alienata utili actione Fabiana vel Calvisiana ita Pauli poterit revocari, instar querelæ inofficiolæ donationis, quia talis alienatio viliori pretio facta in effectu cum donatione coincidit arg. *l. fin. si quid in fraud. pot. factum.* Andr. Fachl. *L. VI. contr. jur. cap. 15.* Clar. *L. IV. sent. §. donatio qu. 24. n. 15.* Modo non solum consilio sed & re defraudati sint liberi, & emtor fraudis fuerit particeps Rauchb. *P. I. qu. 43. n. 32.* (3.) Jur. Sax. juxta **Landes Recht.** *L. 1. art. 9.* si scilicet venditor ante resignationem judicialem moriatur, quo casu hæres præcisè ad tradendum compelli nequit, sed liberatur præstando interesse, verba sunt. **Stirbet der Verkäufer / ehe er mir das verkaufte Gut aufläßt / sind seine Erben nicht schuldig den Kauf zuhalten.** Conf. Cöler. *Part. 1. Decis. 8. n. 3. 4.*

Th. XIV. Rerum quidem locationes conductiones regulariter ad hæredem transeunt *l. 10. C. loc. Cond.* nisi locatio ita facta esset quamdiu locator vellet, tunc enim cum voluntas morte definat, locatore mortuo tollitur & expirat locatio *l. 4. ff. locat.* Valasc. *Consult. 67. n. 3.*

Th. XV. Eodem modo conductæ mercenarii famulitii opera morte solvitur, tum domini dominave. Unde nec famulus invitus cogi potest, ut domino defuncto servitia in reliquos annos hæredibus præstet. Nec hæredes domini inviti ad famulum defuncti retinendum obligantur. Tum moriente famulo definit obligatio nec hæredes domino ad interesse, aut alium vel se ipsos substituere tenentur. Conf. Max. ad *ius Lubecense. L. III. tit. 8. art. 5. & seqq.* Dn. Flörcke in *der teutschen Jurisprud. Lib. I. t. 4. §. 4.*

Th. XVI. Societatem morte finiri, juris est absolutissimè *l. 52. §. 9. ff. pr. soc.* & quidem non solum morte omnium Sociorum sed etiam unius ex sociis *l. 65. §. 9. & 10. ff. pro Socio.* quia sc. qui Societatem contrahunt, industriam personæ eligunt, quæ eadem forte esse non potest in hærede, quam fuit in defuncto Conf. late Thoming. *doc. 13. n. 13. & seqq.* adeo ut nec ab initio

pacisci possumus, ut hæres etiam succedat Societati *l. 59. ff. pr. Soc. Struv. Exercit. 22. 1b. 41.* nec hæres invitus ad eam continuandam, compelli possit *l. 35. ff. pro Soc.* etiamsi pactum fuerit juratum, Stryck *de caut. contract. Sect. II. c. 10. § 1.* licet cepta à defuncto teneatur perficere & de retro gestis rationes reddere *l. 40. ff. pro Soc.* nec interest sive expresso sive tacito consensu inita sit societas Fab. *in Cod. L. IV. t. 27. def. 4.* Eadem ex ratione voluntas ineundæ Societatis non potest in tempus illud conferri, quo mortuus est alter socius Fab. *l. c. t. 34. def. 6.* Atque ita hæres illius, qui alterum, deinde defunctum, in Societatem conductionis admisit, ad continuandam conductionem non tenetur, neque aut à locatore aut à conductore propterea actionibus conveniri potest. Etsi enim obligatio ex conductione in hæredes transeat, tamen obligatio ad proseguendam Societatem conductori factam hæredem non obstringit. Fab. *l. c. Lib. IV. t. 41. def. 36.* pariter beneficium competentix quod datur socio contra socium, hæredi socii non præstatur *l. 63. §. 2. ff. pro Soc.*

Th. XVII. Similiter mandatum re integra expirat tum morte mandantis *l. 26. ff. de mandat.* ut proinde hoc casu mandatarius ab hæredibus mandantis invitus compelli non possit, ad mandatum exequendum *d. l. 26. pr.* nec mandatarius mandatum nondum ceptum post mortem mandantis exequi potest; & si sciens fecerit, actiones adversus hæredes non habet *l. 19. §. 3. ff. de donat.* Tum ipsius mandatarii, hætenus sc. ut mandatum hæredes implere non debeant, nec de neglecto teneantur *l. 27. §. 3. ff. mandat. Struv. Synt. Civ. Exerc. 22. 1b. 14.*

Th. XVIII. Circa contractus innominatos hic potissimum quaeritur, an facultas penitendi ante impletionem ab altera parte subsecutam, detur quoque hæredi ejus, qui rem dedit? Quod quidem negandum existimamus, cum consistat in animo dantis, & hinc morte ejus datio confirmetur *arg. l. 3. ff. de servis export. l. 32. §. 2. ff. de donat. inter virum & uxor.* Accedit, quod facultas penitendi sit quoddam exorbitans, adeoque non extendendum. Meier *in coll. Argent. ad tit. de condict. c. dat. Brunnemann. ad dict. l. 3. ff. de serv. export.*

Th. XIX.

Th. XIX. Obligaciones quidem ex quasi contractu regulariter ad hæredes transeunt excepta ea, quæ oritur ex acceptatione ob turpem causam facta, hæctenus enim saltem hæredes conditione tenentur, quatenus ad illos ex rebus turpiter acceptis pervenit *arg. l. 35. pr. ff. de O. & Act. l. 3. l. ult. ff. de vi & vi arm.*

Th. XX. Delicta sicuti ipsa morte extinguuntur, ita & obligatio ex illis contracta mortuo delinquente solvitur *l. 1. C. si reus vel accusat. mort.* Et quidem primo ratione ipsius rei delinquentis, in cujus cadaver favire post mortem non licet. Adeo, ut si iudex de facto hoc fecerit, teneatur de Syndicatu atque ab hæredibus injuriarum conveniri possit. *Carpz. III. R. 38. n. 5.* nec in cognitione pergi, multo minus ad condemnationem deveniri potest. *arg. l. ult. ff. ad l. 7. maj. l. 6. ff. de public. jud. ibi Gothofred. in not.* Exceptis certis criminibus quorum memoria etiam post mortem damnatur *l. 20. ff. de accusat.* & nisi post sententiam condemnatoriam jam latam in vinculis deceserit. *arg. l. 5. C. si servus.* Conf. *Claud. de Battand. praxi caus. criminal. reg. 125.* Prodest autem hæc liberatio, quæ per mortem rei contingit, etiam fidejussori, qui de iudicio fisci cavit, quippe qui ad mortuum exhibendum non obstringitur. Et licet jure Saxonico contrarium reperiatur statutum per textum *Land-Recht L. 1. a. 10. Weichbild. art. 117.* in praxi tamen id non observatur. *Coler. P. 1. decis. 8. n. 33. 34.*

Th. XXI. Deinde ratione hæredum, qui ex delicto defuncti quoad pœnam non tenentur *l. 33. ff. de O. & A.* Cujus ratio habetur *in l. Sancimus 22. C. de pœn.* quia sc. pœna personarum delinquentium egredi non debent, ac proinde in pœnam hæres non succedit *l. 22. ff. de nov. oper. nunciat. l. 20. de pœn.*

Th. XXII. Porro hoc non tantum locum habet in delictis, quibus pœna aliqua capitalis aut corporis afflictiva præstituta est. *Sichard. ad l. unic. C. ex del. def. n. 7.* sed & in delictis extraordinariis atque arbitrariis quæ pœnam carceris, relegationis, infamiae, numellarum &c. inferunt. *l. fin. C. si reus vel accusat. mort.* Adeo, ut nec pœna licet ex causa famosa patri irrogata filio maculam infigat *l. 26. ff. de pœn. l. 34. §. fin. d. R. N.*

ut hinc recte liberi, quibus paternum supplicium in contumeliam objicitur, actionem injuriarum habeant. *arg. l. 2. §. 3. d. de sur. l. 7. in fin. ff. d. Senat. Add. Covarruv. II. Refol. c. 8.*

Th. XXIII. Sed quid si pœna delicti sit pecuniaria? Resp. Disting. inter delicta privata & publica. In illis si civiliter agatur, pœna transit, quando reus post litem contestatam est mortuus *l. 26 ff. de O. & Act. in his vero non transit arg. l. fin. C. si reus vel accus. mort. nisi reus postquam plene confessus & convictus fuerit, vel post latam jam sententiam, nec appellatione suspensam decesserit l. 20. ff. de accusat. Fab. in Cod. L. IV. T. 12. def. 7. Carpz. P. III. Resp. 38 n. 18.*

Th. XXIV. Nisi ex delicto defuncti aliquid ad hæredes pervenerit, tunc enim Jure Civili non quidem in solidum attamen quatenus ad hæreditatem pervenerit tenentur. *l. unic. C. ex del. def. dicitur autem ex delicto defuncti ad hæredem pervenisse, vel si res scelere quasita adhuc extet, vel si in pecuniam aliamve rem conversa, quacunque ratione lucro hæredum vel hæreditatis cesserit l. 18. ff. qu. m. c. sufficit autem ad obligationem contrahendam semel pervenisse, unde & contra hæredis hæredem persecutio competit, licet hic nihil ceperit l. 17. ff. qu. m. caus. ad hoc tamen ut hæres etiam cum effectu valide condemnari possit necesse est, ut tempore judicati res adhuc extet arg. l. 36. §. pen. de petit. hæred. Sin enim res vel lucrum casu interceptum ac penitus extinctum fuerit, obligatio hæredis expirat arg. l. 16. pr. ff. d. R. V. Cæterum dicta superioris distinctio Jure Canonico non servatur juxta cap. fin. X. de sepult. cap. 9. X. de usur.*

CAP. IV.

De Actibus judicialibus qui morte actoris vel rei pereunt.

Th. I.



In Judiciis primo spectatur persona judicis, & ejus potestas, quæ omnino personalis est, cum intuitu muneris personalis comperat, & inde ad hæredem non transit. Nec actio de Syndicatu, si judex in administrationem

nistranda iustitia negligens fuerit, ad hæredes ejusdem tranfit
l. 16. ff. de judic. nisi quatenus vel rem persequimur, quæ in hæ-
 reditate est, vel lis cum defuncto fuerit contestata de quo; ca-
 su accipiendus § *fin. l. 4. ff. de damn. infict.*

Th. II. Ut vero jurisdictio principalis morte solvitur, ita
 & delegata, mandata, commissorialis morte judicis delegantis
 expirat, nisi cognitio semel à commissario fuerit per citationem
 cæpta *l. 6. ff. de jurisdict. cap. 30. X. de off. & pot. jud. deleg.*
Struv. Exercit. IV. tb. 43. adeo ut nec ex consensu partium possit
 delegatus ultra procedere. Etiam si delegatus & partes igno-
 raverint mortem delegantis, tamen ipso jure extinguitur de-
 legatio. Motz. *de Contract. tit. d. mand. rubric. quem annull. mand. n. 20.*

Th. III. Circa forum domicilii defuncti multum inter se
 disceptant interpretes, num illud ad hæredem transeat, nec ne;
 Et quidem si lis cum defuncto semel sit cæpta, tunc omnes
 concedunt, instantiam tam active quam passive in hæredem
 ipso jure transire *l. 58. ff. de O & Act. Berlich. Pi. Conclus. 127. n. 1.*
& seqq. Gail. l. 1. O. 74. Sed si defunctus ante litem cæptam
 fuerit mortuus, non convenit inter Dd. an & hoc casu hæres
 invitus stare teneatur, in foro ubi defunctus habuit domici-
 lium. Putant nonnulli id non procedere, quia scilicet domici-
 lium morte extinguatur, nec possit propter personalitatem
 suam transire in hæredem Faber. *in Cod. L. 3. Tit. 1. def. 4. Struv.*
Synt. Civ. Exercit. IX. tb. 36. cum sc. consistat in animo ac
 possessione sive actuali habitatione *l. 20. ff. ad municip. posses-*
sio vero ac animus morte expiret. Alii contra affirmant, hære-
 dem indistinctè teneri stare in foro defuncti, sive lis cum de-
 functo cæpta s. non, & hanc opinionem in primis defendit,
 Lauterbach. *in pecul. dissertat. de domicil.* Atque hi quidem se-
 fundant in simplici & generali interpretatione *l. hæres absens 19.*
ff. de jud. quam tamen superiores juxta *l. 34. ff. eod.* restringunt
Gail. l. 1. Obs. 17. n. 8. 9. Zang. de Exceptionibus Part. II. cap. 11. n. 113.
& seqq. Nos vero sepositis auctoritatis humanæ præjudiciis
 mediam quodammodo sententiam eligendam arbitramur. Ni-
 mirum concedimus quidem in hoc priori sententiæ, quod do-
 micilium morte defuncti perimatur, cum animi ac facti sit.

Affirmamus vero etiam, quod hæres etiam lite cum defuncto nondum cœpta, ejusdem forum agnoscere, & ibi conventus stare teneatur. Non ex ea ratione quasi hæres in foro domicilii repræsentet personam defuncti. Sed ex hac potissimum ratione quod hæres adeundo hæreditatem, facta defuncti rati habere & suo quodammodo consensu, confirmare intelligatur *l. 7. C. de liber. caus.* Et hinc eodem tacito consensu, quo actus & contractus defuncti confirmat, videtur quoque se subjecisse foro ac jurisdictioni illius loci, ubi ipse defunctus conveniri potuerit; ut hinc forum illud non tam ex jure translato quam ex propria quodammodo prorogatione agnoscere ac sequi teneatur. Accedit & æquitatis ratio, iniquum enim foret creditores, qui, cum defuncto fortè intuitu fori sui quod facilius datur crediti in eo persecutio, contraxerint, distrahere ad forum hæredis, ubi difficilius fieri potest petitio, maxime cum non culpa creditorum sed casu forum defuncti interciderit.

Th. IV. Hoc tamen ita saltem accipiendum arbitramur si hæres ibi præsens reperiatur Zoes *ad tit. de jud. n. 72* Et si enim alias defunctus in foro domicilii potuerit conveniri siue præsens ibi fuerit siue absens, quia absentia nuda non mutat domicilium *l. 4. §. 2 ff. de damn. inf. Gail. II. O. 36. n. 17.* Attamen hoc singulare est in hærede, qui non nisi præsens in foro defuncti conveniri potest. Præsens autem hic dicitur hæres non qui ad momentum in loco moratur v. gr. transeundo, hospitando &c. confestim sc. discessurus *d. l. 19. §. 2.* sed cum aliquo temporis laxamento debet accipi. Deinde hoc intelligendum, si ex facto defuncti conveniatur hæres, secus quando ex facto proprio, aut ut possessor rei, non ut hæres convenitur Faber *in Cod. L. III. tit. 1. def. 6.*

Th. V. Mandatum quidem procuratorium morte mandantis expirat *l. 26 pr ff. mand.* nisi in hæredes quoque conceptum sit, tunc enim citra specialem reassumptionem litis ab hæredibus faciendam procuratoris gesta post mortem etiam domini sunt valida, nec processum faciunt nullum Guid Papa *dec. 113.* Sed an morte substituentis etiam potestas substituti expiret, inter se controversum interpretes? Tutant nonnulli quod sic, ex hac ratione, quia pro.

procurator non tam vigore mandati, quam quia factus sit dominus litis substitutum dare possit, illo ergo jure substituentis post mortem soluto, etiam substituti potestatem extingui. Sed rectius negatur, cum enim juxta praxin judiciorum potestas substituenti non detur procuratori, nisi disertis verbis, in mandato procuratorio sit concessa; & hinc substitutus non tam ex jure à substituente procuratore concessio, quam domini persona agat vi mandati principalis, unde à domino potius quam à substituente jus substituti dependet, nec proinde morte hujus desinit aut irrita fieri potest Carpz. *L. III. R. 6. n. 16. & seqq.*

Th. VI. Juramentum quidem super proprio facto à judice vel parte delatum, aut omnino præstandum est aut referendum *l. 34. §. 6. l. 38. ff. de jurej.* Sed hoc in hærede non procedit, quippe qui de facto defuncti jurare non cogitur cum sit in justa ac probabilis ignorantia causa *l. Marcellus 11. §. 2. ff. rer. amot.* nisi res committatur propria hæredis notitia Everh. *de fid. Instrum. cap. 11. n. 37. & seqq.* Sed quid si de facto defuncti hæredes bene sint informati, aut alias exactissimam ejus notitiam habeant? Tamen juramentum ab illis præcisè exigi nequit, quia res est dubii plenissima super, aliena conscientia & facto jurare Carpz. *P. I. C. 24. def. 8.*

Th. VII. Sunt autem duo hic maxime casus discernendi, aut enim deferens moritur, aut is cui juramentum delatum. Priori casu delatum semel à defuncto & legitimè ab adversa parte acceptatum juramentum ab hæredibus quidem revocari nequit, sed & contra illos præstari potest arg. *l. 9. §. fin. ff. de jurej.* At vero referri illis nequit, nisi ad hoc, ut vel de propria saltem scientia vel credulitate jurent Fab. *in C. L. IV. tit. 1. def. 14. 15.* Carpz. *P. I. C. 24. def. 6.*

Th. IIX. Posteriori casu distinguendum est inter juramentum necessarium & judiciale. Hoc si à parte delatum fuerit, nec tamen à defuncto morte prævento præstitum, hæredibus deferri nequit, sed actor suam intentionem aliunde probare debet & hæredes saltem de credulitate jurare tementur Thoming. *dec. 45.* modo tria concurrant (1.) ut sententia de juramento præstando vivo adhuc eo qui jurare jussus fuerat, fuerit lata. (2.) Ut jurare jussus se intra legitimum tempus

pus ad jurandum obtulerit (3) in notitiam & scientiam simul defuncti deferatur, wenn die Klage dem Verstorbenen/in sein Gewissen Wissenschaft und Wollbewußt gestellt. Inde non tenentur hæredes jurare de credulitate super facto conscientia defuncti commisso, wen Beklagter nur auf sein Gewissen beschuldiget Cöler. P. I. dec. 116. n. 9. Carpz. III R 60. it. si is ante conceptam vel publicatam sententiam decesserit Carpz. P. I. C. 14. def. 3. 4. & seqq. Volentes tamen delatum defuncto recte suscipiunt & de credulitate jurant, & tunc deferens suæ delationi stare debet. Cöler. P. I. Dec. 210. n. ult. Imo si defunctus juramentum legitime acceptaverit & sese intra consuetum oëtiduum ad jurandum obtulerit pro præstito quandoque habetur Cöler. P. I. dec. 116. n. 12. quod multo magis procedit si deferentes in mora fuerint. Carpz. IV. Resp 110.

Th. IX. Illud siquidem purgatorium fuerit, morte rei aut inquisiti extinguitur, favore tamen plenioris defensionis atque ad evitandam pœnam. quandoque ad hæredes transitoriam, hæredes ad juramentum purgationis super credulitate tenentur. Carpz. Part. III Dec. 230. n. 6. & seqq. Ad suppletorium vero si res conscientiam defuncti saltem concernat, non admittuntur. Brunnem. ad d. l. ii. n. 3 ff. rev. amot. Berlich. P. 1. Conclus. 58. Alias vero si jam semiplene sit probatum & non tam in personam quam in causam jurandum sit, hæredes recte super credulitate jurant Carpz. III R. 61. n. 8. & seqq. ita hæredes mercatorum probationem ex libris defuncti recte juramento supplere possunt. Carpz. LVI. R. 121.

Th. X. Potuissimus hic plura de actionibus tum civilibus tum criminalibus quatenus ad hæredes transeant, vel non subnectere, sed cum plenius hæc jam sint elaborata à B. Struv. in Syn. Civ. Ex. 46. th. 78. & seqq. inde brevitatis causa illa prætermisimus. Tu interea B. L. si quæ de sint, pro tua humanitate supplebis, cogitans, nos non ostentationis, sed exercitationis causa delibationes has posuisse.

FINIS.

DUm rediviva suos thesauros terra reclu-
dit

Ac se candidulis floribus ornat ager,
TV pariter satagis nitidis exponere scri-
ptis

Thesauros doctæ mentis, AMICE, Tuos.

Gratulor ex animo: benedicat Jova labori,

Ut TE mox THEMIDOS splendida ferta coment!

Guilielm. Hieron. Brückner, D.

Die Tugend spricht: Herr Pagendarm
Soll nun auf die Catheder steigen!
Hingegen ruft der Neider-Schwarm:
Man muß Ihm diesen Weg nicht zeigen!
Allein Er thut recht löblich dran/
Daß Er der Neider Rath vernichtet!

Und auf der Tugend Renne-Bahn

Das angefangne Werck verrichtet.

Ich sehe schon: wie Dessen Fleiß

Den schönen Ehren-Lohn errennet!

Den Themis Ihm zum Ruhm und Preis

Mit höchstem Rechte zuerkennet.

Wer nun sein Herz der Tugend weyht!

Und nicht im Neider-Orden stehet /

Derfelbe wünscht mit mir erfreut:

Das solches nächstens vor sich gehet!

Also sollte seinem Hochwerthesten Herrn Vetter
S. T. Herrn *Bernhard Heinrich Pagen-*
darm / J. V. Candidato, zu dem löblichen
Vorhaben herzlich gratuliren

Johann Adolph Fürstenau /
J. V. Licentiat.

Mars



Ars läffet liberal die Luffte Carthagenen knallen/
Das Mauren / Thurm und Stadt zerschmet-
tert niederfallen.

Erhält man heute Post von dem erschotnen
Sieg /

So höhrt man Morgen schon von einem
neuen Krieg.

Hochwerther Pagendarm / Du schickest dich auch heute
In Themis Muses Feld zu einem Krieg und Streite /
Da Dich Dein Jugend-Fleisch mit Freunden sechten heiff /
Wovon sich ieder tezt als Gegen-Part erweist.
Jedoch greiff nur getrozt zu den gelehrten Waffen /
Der Himmel wird Dir schon den Sieges-Trank verschaffen /
Gieb Feuer auf das Volk / das Dich so hart bekriegt /
Das Deine Tapfferkeit in solchem Treffen siegt.
Dein **Seruve** stehet Dir mit seinem Schutz zur Rechten.
Drüm zeige Deinen Muth / als Held / in diesem Fechten /
Ich sehe schon im Geist / die Muses stimmen ein:
Es werde Glück und Sieg auf deiner Seiten seyn.

Solches wolte dem Herrn Autori und tapffern De-
fenfori dieser gelehrten Disputation, als seinem
hochwerthgeschätzten Freunde und Gönner zur
schuldigen Ehren-Bezeugung mit flüchtiger Zei-
der glückwünschend aufsetzen

M. Christoph Weissenborn /
der Philosophischen Faectät zu
Jena Adjunctus.







Jena, Diss., 1705 St-2

ULB Halle


005 360 749

3



TA → 0C





1705, 21
32 46
3
2
7
D. B. V.
DISSERTATIO IVRIDICA

DE
HÆREDE DEFVN-
CTVM NON REPRÆ-
SENTANTE

Quam
RECTORE MAGNIFICENTISSIMO
SERENISSIMO PRINGIPE
AC DOMINO

DN. GVILIELMO HENRICO

DVCE SAXONIAE, IULIACI, CLIVIAE, MONTIVM, ANGARIAE
ET WESTPHALIAE &c. &c.

IN HAC ALMA IENENSI

PRÆSIDE

DN. FRID. GOTTLIEB. STRUVIO

I. U. D.

Patrono ac Promotore studiorum suorum plurimum colendo

Ad diem Maji MDCCV.

Publico eruditorum examini submittit

Horis locoque consuetis

BERNHARD. HENR. PAGENDARM.

Hervordia Westphalus.

JENÆ, Litteris MULLERIANIS.